



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Magnum Matrimonij Sacramentum Casibus Practicis Expositum

Reutlinger, Ignaz

Augustæ Vindelicorum, 1716

VD18 10508716

Pars Prima. De Impedimentis impedientibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40059

Dioecesis respectu suorum subditorum ex vi sui muneris, controversia est inter AA. quam hic examinare non vacat. Certum est ex praxi Ecclesiae, de facto potestatem statuendi impedimenta dirimentia inter fideles, si non ex lege, saltem ex generali Ecclesiae consuetudine ita reservatam esse, ut aliter ejusmodi impedimenta statui nequeant, praeterquam à solo Papa, vel universali Concilio. Hæc de impedimentis præmittenda visa sunt.

Ut modò ordinatè progrediamur, & ipsa mole, ac numero impedimentorum non obruamur, aut ijs, qui lecturi sunt, pariamus fastidium, placuit præsentem Sectionem ob materiae, quam complectitur, vastitatem, in duas partes dividere. Alteri reservabimus ea, quæ Matrimonium dirimunt; in priorè tractabimus impedimenta, quæ conjugium solùm impediunt, non autem reddunt invalidum.



PARS PRIMA.

De Impedimentis Impedientibus.

Ex ijs, quæ Matrimonium reddunt illicitum, plura impedimenta numerantur, quæ isthòc tempore non amplius in usu sunt; pauciora perdurant etiamnum in suo vigore, & observantur. Et hæc, & illa scire expedit; quia tamen potior pars de

N n 2

facto

facto caret isto effectu, ut Matrimonium impediatur, omiſſâ paulisper uſitata hætenus ſcribendi ratione, in proxima quæſtione, quæ erit quaſi ingreſſus, vel præmiſſum ad alias ſecuturas, ſine propoſito caſu ſingula impedimenta exponemus, quæ antiquata ſunt; in reliquis deinceps conſuetam nobis methodum reſumemus.



QUÆSTIO PRIMA.

Quot ſint impedimenta impediencia, præſertim Jure antiquo, & quem effectum iſta olim habuerint?

SYNOPSIS.

1. *Enumerantur impedimenta impediencia.*
2. *Quid ſit Catechiſmus? Qui huic aſſiſtunt, diligenter annotari debent à Parocho.*
3. *Reliqua ſunt ex crimine: ac primò quid ſit impedimentum inceſtus?*
4. *Quid impedimentum raptus? hoc probabiliter non contrahitur in raptu Sponſæ de futuro.*
5. *Impedit Matrimonium uxoricidium, etiamſi conjunx occiſa fuerit in adulterio.*

6. *Quid*

6. Quid sit susceptus propria Sobolis?
 7. Exponuntur reliqua tria impedimenta.
 8. Impedimenta orta ex crimine hodie in usu non sunt, sed consuetudine contrariâ abrogata.

1. **D**uplicis generis sunt impedimenta impedientia. Aliqua procedunt ex crimine, alia non ex crimine. Universim statuta sunt, saltem olim, eiusmodi impedimenta duodecim, quæ iuvandæ memoriæ causâ in hos versus redacta sunt; ac primò quidem enumerantur ea septem, quæ oriuntur ex crimine,

Incestus, raptus Sponsata, mors mulieris

Susceptus propria Sobolis, mors Presbyteralis.

Vel si peniteat solenniter, aut Monialem Accipiat; prohibent hæc conjugium sociandum.

Alia quinque, quæ non procedunt ex crimine, sequentibus versibus includuntur.

Ecclesia vetitum, nec non tempus seriatum,

*Atque Catechismus, Sponsalia, iungito
 vocum,
 Impediunt fieri, permittunt facta re-
 veri,*

Hæc cum moderno tempore, excepto Catechismo, adhuc in usu sint, eorum explicatio in sequentem quæstionem, & casuum, qui in ea proponuntur, decisiones differtur: cætera hoc loco exponentur.

2. Ex istis primo loco venit *Catechismus*, quo nomine intelligitur cognatio, quam olim contrahebat is, qui loco baptizati ad quæstiones fidei respondebat, quæ regulariter ante collationem baptismi solemnem, vel per accidens postea per ceremoniarum suppletionem proponi solent; is enim illicitè contraxit Matrimonium cum omnibus ijs ob impedimentum impediens, cum quibus Patrinus, aut baptizans invalidè contraheret ob impedimentum dirimens cognationis spiritualis. Statuitur istud impedimentum in *c. Contracto. De cognat. spirituali, & c. Per Catechismum, eod. in 6.* Verùm modò, quando

quando respondens ad quæstiones fidei non simul est Patrinus, secundum communioem Sententiam censetur hoc impedimentum à Concilio Tridentino sublatum, quia secundum hoc cognatio spiritualis tantum contrahitur inter baptizatum, ejusque Patrem & Matrem ex una parte, & baptizantem, ac susceptores, sive Paternos ex alia parte. *Sess. 24. de reform. Matr. c. 2.* ita contra Perez, Rebllum, & alios nonnullos, quos citat, Palao *disp. 4. de Sponsal. pu. 2. §. 1. n. 9.* Coninck *disp. 30. dub. 3. n. 24.* Sanchez *L. 7. disp. 10. n. 12.* Illung, Tannerus &c. quod etiam à S. Congregatione Cardinalium fuisse declaratum testatur Basil. Pontius *L. 6. c. 11. n. 3.* quæ declaratio habetur apud Farinacium *in c. 2. Sess. 24. Concil. Trident. de reform. Matrimon.*

Illud verò circa hoc sapienter monent Palao, Pontius, & Tannerus, debere Parochum diligenter annotare in libro, si fortè fuerunt alij diversi Patrini, qui adstiterunt soli catechismo, ab ijs, qui baptizandum levarunt è sacro fonte, quia posteriores isti contrahunt impedimentum dirimens; priores autem vel solum impediens, vel juxta communioem omnino nullum, quod proinde diligenter est exprimendum.

3. Ex impedimentis, quæ ex crimine oriuntur, primum est *incestus*, id est, carnalis copula habita scienter à viro cum consanguineis suæ uxoris,

vel ab uxore cum consanguineis viri, olim quidem intra quartum gradum, ut habetur *c. Non debetur. De consang. & affinit.* post Tridentinum verò usque ad secundum gradum inclusivè. Quicumque igitur impedimentum hoc contrahunt, non possunt licite, mortuo conjugè, cum alio, vel alia quacunque inire Matrimonium *c. 1. & c. Transmissa. De eo, qui consang. sororis suæ*; si tamen secus faciant, Matrimonium tenet: perinde autem est, an hic incestus committatur cum consanguineis conjugis viventis, an defunctæ, quia utrobique committitur verus incestus; probabilius tamen istud impedimentum non incurritur per incestum cum propria consanguinea commissum, ut contra Navarrum, Palao & Canonistas docent plerique Theologi, teste Tannero *tom. 4. disp. 8 q. 4. dub. 2. n. 26.* quia etsi re ipsa gravior sit incestus cum consanguinea propria, quam cum affine, tamen colligitur *ex rubrica tit. De eo, qui cognovit Consang. sororis suæ* specialiter illis solum inflictam esse hanc poenam, qui cum consanguineis conjugis incestum committunt; ad alios proinde hæc odiosa extendenda non sunt, maxime cum istud minimè infrequens sit, ut jura in decernendis poenis non tam ad gravitatem delicti, quam ad coërcendam frequentiam, & periculum respiciant juxta *Argum. L. 1. ff. De Abigeis*: solet autem semper majus esse periculum, ne peccatum
in

in consanguineos conjugis, quàm proprios committatur. *Engl. Manual. Paroch. p. 3. c. 5. §. 4. n. 8.* Alia de incestu commodiùs dicentur in impedimentis dirimentibus, quando agitur de affinitate. Hoc addo ex *Perez. disp. 23. de Matr. Sect. 5. n. 8.* istud impedimentum incestus, ut prohibeat Matrimonium cum quacunque alia contrahendum, jam non esse in usu, ita ut neque peti amplius soleat de hoc impedimento dispensatio, cum sit per dissuetudinem præscriptam jam abolitur, ac proinde de ipso in praxi non curandum.

4. Alterum est impedimentum *raptus sponsatæ*, quando nimirum aliquis sponsam alterius de præsentis causâ libidinis explendæ, sponso renitente, abducit. Quod si sponsa consentiat, in idem impedimentum incidit, unde non solum non potest raptor cum rapta (nam cum hac adest impedimentum dirimens, de quo inferiùs dicitur) sed neque cum quavis alia, nec potest sponsa raptui assensum præbens sive cum raptore, sive cum quovis alio contrahere Matrimonium. ita statuitur *Cau. Statutum. 27. q. 2.* ubi raptor alienæ Sponsæ jubetur æternùm carere omni Matrimonio. Impedimentum istud impediens *Filliac. 11. 10. p. 2. c. 9. n. 286.* extendit etiam ad raptum, quo rapitur sponsa alterius de futuro, sed probabiliùs hoc negant *Sanch. L. 7. disp. 12. n. 45. &*

Palao disp. 4. de sponsal. pu. 2. §. 2. n. 9. quia sponsa de futuro in rebus odiosis non venit nomine sponsæ.

5. Tertium est *mors muliebris*. Per hoc intelligitur interfectio propriæ uxoris, non quidem facta animo cum alia contrahendi, sic enim daretur impedimentum dirimens, sed facta ex ira, vel odio, *c. Quicumque. c. Interfectores, & c. Admonere. 33. q. 2.* Imò etiam ex vindicta ob patratum adulterium, ut contra *Bonac. q. 3. De imped. Matr. pu. 14. n. 16. Eman. Sà V. Matrimonium. De imped. non diriment. n. 6.* & alios quosdam docent *Palao l. c. n. 17. Sanch. L. 7. disp. 16. n. 2. Perez & c. idque satis constat ex c. Inter hæc, & c. Si quod verius. caus. & quæst. cit.* licet enim juxta *Leges Civiles*, qui uxorem in adulterio deprehensam propria auctoritate interficit, nullâ pœnâ plectatur *L. Si adulterium. §. 2. ff. Ad L. Iul. De Adult.* quia tamen mortaliter peccat, & per hoc nimia licentia induceretur, ream non auditam, & non examinatâ causâ interficiendi in statu, in quo de salute æterna maximè periclitatur, à *Jure Canonico* hæc *Leges Civiles* correctæ sunt, & tali homicidæ imponitur pœna, ut ad nuptias cum alia quacunque transire non possit.

6. Quartum est *susceptus propriæ sobolis*, dum quis proprium filium, aut filiam extra necessitatem baptizat, vel ex sacro fonte levat ut *Patrinus*, quod *Bonacina l. c. n. 17.* extendit etiam

etiam ad Confirmationem, animo malo insidiandi Matrimonio, id est, cum intentione negandi deinceps debitum uxori propter contractam cum ea cognationem spiritua-lem, quo casu imponitur ipsi pœna, ut, si uxori supervixerit, cum alia Matrimonium contrahere nequeat, & omni spe conjugij perpetuò careat, cujus impedimentum tam malitiosè ponere voluit, *Can. De eo. 30. q. 1.*

7. Quintum est mors Presbyteralis, sive occisio Presbyteri privata auctoritate, & injustè facta. Ejusmodi interfectori *c. 2. De Pœnit. & Remiss.* prohibetur conjugium per omnem vitam, quando de crimine convictus est in judicio; & meritò, dignus enim est occisor Presbyteri privari Sacerdote, qui ex officio assistit Matrimonio. Palao, Filliuc.

Sextum est, si pœniteat solemniter, nequit contrahere Matrimonium, quamdiu durat publica pœnitentia, *c. De his, & c. fin. 33. q. 2.* Hac peractà conjugium ipsi permittitur. *c. Si quis cum duabus. ibid.* Ponitur autem solemnis pœnitentia inter impedimenta ex crimine orta, non quòd ipsa crimen sit, sed quia ex crimine procedit, & propter ipsum imponitur, qua durante non decebat, ut nuptiæ, quæ secum lætiti- am afferunt, permitterentur ei, qui luctui, & pœnitentiæ adstrictus est. Modò, quia non amplius in usu est publica, & solennis pœnitentia,

clarum est, etiam hoc impedimen- tum cessasse.

Septimum denique est: Si Monia-lem accipiat, hoc est, si Matrimo- nium ineat cum Moniali professâ, quam talem esse non ignorat, tunc enim non solum invalidè contrahit cum ipsa, sed cum quacunque illi- citè, dum vivit, non tamen invalidè. *c. Hi ergo. 27. q. 1.* Ratio est, quia injuriam irrogavit Christo ejus Spon- so: meretur ergo conjugio in perpetuum privari.

8. Impedimenta criminibus ha- stenus enarratis à Jure annexa per diuturnam consuetudinem hodie pe- nitus sublata sunt, proinde nullum peccatum est hoc tempore cum illis contrahere Matrimonium, etiam absque ulla prævia dispensatione. Ita Navarrus, qui potest esse instar omnium, utpote in quæstionibus conscientiæ, quæ ferè ex universo orbe ad ipsum delatæ sunt, experientissimus, & Styli Curia non ignarus, cum Romæ pluribus annis moratus sit, sub Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Sixto V. & ab omnibus tribus in gravioribus Pœ- nitentium negotijs pertractandis ad- hibitus. Is igitur in Manuali (quem librum post exactam in literis ætatem Gregorio XIII. nonagenarius senex dedicavit) *c. 22. n. 75. & 87* testa- tur, se in tanta ætate nec vidisse, nec audivisse, in istis impedimentis dispensationem peti, nec in incestu quidem, nisi ad contrahendum cum ea,

ea, cum qua incestus commissus est. Idem docent Laym. *L. 5. tract. 10. p. 4. c. 15. n. 2.* Palao *disp. 13. de Sponsal. pu. 2. n. 23.* Coninck *disp. 30. n. 25.* Sanch. *L. 7. disp. 17. n. 8.* Perez *disp. 23. de Matr. Sect. 8. n. 2.* Wiestner *de Matr. contract. contra interdict. Eccles. n. 52.* Hurtad. Pontius, Engl, Henriq. &c. Idem denique testatur Bern. Van Espen *in Iure Eccles. Univerf. p. 2. tit. 13. c. 2.* in Gallia, Belgio, & in plerisque orbis Christiani pro-

vincijs impedimenta impedientia ex crimine provenientia penè nota non esse, nec ullum illorum usum nosci: manifestum igitur est, ex omnibus impedimentis, quæ Matrimonium solum impediunt, non autem reddunt invalidum, hoc tempore quatuor duntaxat superesse, quæ Tamb. *L. 8. tit. 1. de Matr. c. 16.* hoc veru exprimit.

Sacratum tempus, vetitum, Sponsalia, votum.



QUÆSTIO SECUNDA.

De Impedimentis impedientibus Iure novo, seu moderno.

§. I.

De primò Impedimento, quod est
Tempus Sacratum.

C A S U S

Mora impatiens.

Trafilla mater effecta est ex fornicario coneubitu patre Themistio milite, qui ut tum proli, tum famæ istius sceminae consu-

consulere, pollicitus est eam ducere uxorem; dum autem hoc parat exequi post Octavam Paschatis, jubetur interea sub medium Quadragesimæ proficisci ad expeditionem bellicam, fortè nunquam rediturus, neque permittitur à suo Ductore secum ducere Trasillam, nisi hæc actu conjux foret; proinde urget nuptias apud Parochum ante suum abitum.

Q. An possit ob has circumstantias tempore prohibito contrahere Matrimonium, & huic Parochus assistere?

S Y N O P S I S.

1. *Diversis temporibus olim ab Ecclesia prohibita fuit celebratio nuptiarum, & cur?*
2. *Concilium Tridentinum rigorem veterum Canonum mitigavit, & hoc impedimentum ad brevius tempus restrinxit.*
3. *Probabilius prohibitio nuptiarum tam in Adventu, quàm Quadragesima non incipit à Vesperis diei præcedentis, sed à media nocte.*
4. *Hac prohibitione vetatur solum solemnitas Matrimoniorum. In quovis consistat?*
5. *Non verò prohibentur Sponsalia de futuro, neque denunciations, nec Matrimonij consummatio.*
6. *Ipsam etiam Matrimonium ex vi Iuris communis contrahi potest tempore feriato, sed sine solemnitatibus, & benedictione.*
7. *In hoc tamen attendendæ sunt consuetudines Diæcesium, & in Germaniâ plerisque locis hoc non permittitur.*
8. *Deciditur præsens casus.*

I. Et si

1.



Si Jus natura-
le, vel Divi-
num contra-
ctum Matrimo-
niale non
adstringat ad
certum tem-
pus, aut dies

aliquos definiverit, quibus nuptiæ celebrari nequeant, tamen Romana Ecclesia, tum ut festa aliqua per annum solemniora à fidelibus majore devotione celebrarentur, tum ut populus aliquando intensius orationi, jejunio, aliisque poenitentiae operibus vacaret, prohibuit illis temporibus nuptiales solemnitates, utpote quæ animum ab his Spiritu-
alibus exercitijs maximè avertunt, & vanâ lætitiâ occupant; tempus verò istud, quo nuptiæ vetantur, communiter vocari solet *tempus clausum, sive feriatum.*

Antiquis temporibus satis ampla erat hæc prohibitio, ad diversa tempora se extendens, nempe ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam; à Septuagesima ad Octavam Paschatis; à diebus Rogationum usque ad Octavam Pentecostes, & tribus Septimanis ante festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ, ut constat ex *Can. Non oportet. 8. & 10. caus. 33. q. 4. & c. Capellanus. De Ferijs.* His igitur temporibus contra Ecclesiæ prohibitionem contrahebatur Matrimonium quidem *illicite*, non tamen *invalidè*, quamvis aliqui ex an-

tiquis contrarium censuerint, ut monet Glossa in *Can. 7. caus. 33. q. 4.* atque etiam Christianus Lupus *tom. 4. Scholiorum in Canones p. 43.* affirmet ex S. Petro Damiani, quòd extra tempora contractum conjugium fuerit olim *substantialiter nullum.* Sed prævalet opinio aliorum, quòd ista prohibitio constituerit *impedimentum solum impediens*, non autem dirimens; vel si aliquando antiquis temporibus Matrimonia tempore feriarum inita pro nullis habebantur, impedimentum istud per consuetudinem mutatum est ex dirimente in impediens, quale hodièdum est.

2. Concilium Tridentinum sess. 24. de reform. Matr. c. 10. rigorem hunc veterum Canonum quoad prolixitatem temporis clausi mitigavit, & intra terminos arctiores constrinxit, his verbis: *Ab adventu Domini nostri Iesu Christi usque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum usque in octavam Paschatis inclusivè antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit: in alijs verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit, quas Episcopi, ut eâ, quæ decet, modestiâ, & honestate fiant, curabunt; sancta enim res est Matrimonium, & sanctè tractandum.* Cùm verò hanc Ecclesiæ prohibitionem hæretici nostri temporis tanquam superstitionem rejiciant, dicta Synodus eadem sess. can. 11. istum hæreticorum errorem ex instituto præscripsit in hunc modum: *Si quis dixerit*

dixerit, prohibitionem solemnitate nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones, & alias caeremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit.

3. Circa hoc Tridentini decretum duo nobis examinanda sunt. 1. Quando incipiat hæc prohibitio? 2. Quænam propriè sit prohibitionis istius materia, sive quidnam in isto decreto prohibeatur? Primum quod attinet, vetantur nuptiæ à tempore Adventûs, & quidem juxta Sanch. cum alijs quibusdam *L. 7. disp. 7. n. 2.* probabiliter à primis vespèribus Sabbathi præcedentis Dominicam primam Adventûs, ubi aliud consuetudo non approbaverit, quia ab eo tempore unâ cum Officio incipit Adventus. Verùm dicendum potius videretur cum Basilio Pontio *L. 6. c. 8. n. 5.* hanc prohibitionem incipere à media nocte, proinde sabbatho integro ante Dominicam primam Adventûs nuptiarum solemnitate vetitam non esse, quia licet Concilium Tridentinum præcisè dicat, nuptias prohiberi ab Adventu Domini, Concilium tamen Ravennatense secundum sub Clemente V. habitum expressè asserit, hanc prohibitionem initium sumere à Dominica prima Adventûs, quam, certum est, incipere à media nocte, in quo tempore Concilium Tridentinum nihil voluit immutare: durat verò dicta prohibitio usque ad festum Epi-

phanicæ inclusivè, in quo AA. conveniunt. Rursus nuptiæ prohibentur à feria quarta cinerum usque in diem Octavæ Paschatis inclusivè, ubi omnes communiter iterum conveniunt, initium prohibitionis incipere non pridie, sed à media nocte fericæ quartæ, unde absque omni peccato totâ feriâ tertiâ ante cineres nuptiæ celebrari possunt, idque passim consuetum esse videmus in nostris partibus; putatque Gobat *tr. 9. cas. 3. n. 74.* idem facturos esse nostros Germanos (quia id possent salvo jure) etiam in sabbatho ante primam Dominicam Adventûs, si abstinentia à carnibus non obstaret. Imò in aliquibus locis, veluti Mediolani, ut testis est Bonacina *q. 3. de imped. Matr. pu. 15. n. 4.* ex consuetudine legitimè præscripta prohibitio nuptiarum primùm incipit die sabbathi ante Dominicam primam Quadragesimæ, ideoque licitè celebrantur ibi nuptiæ adhuc feriâ quartâ cinerum, & sequente biduo.

4. Materia prohibitionis est nuptiarum solemnitas, ut rursus clarè colligitur ex textu Tridentini. Tria autem veniunt sub nomine *solemnium nuptiarum*. 1. Designat solemnitas secundum omnium Sententiam nuptialem benedictionem, quam adhibere eo tempore sub gravi culpa prohibetur, unde mortaliter peccant tum sacerdos nuptias benedicens, tum ipsi sponsi præceptum istud transgredientes, ut desumitur tum ex Tridentino,

tino,

tino, quod praecipit diligenter servari eam prohibitionem, ex quo Authores colligunt gravitatem praeccepti, tum ex gravitate poenae, namque Sacerdos benedicens nuptias tempore vetito plectendus est poena gravi, arbitraria tamen; sponsi vero in poenam delicti ad tempus separandi sunt juxta *can. Non oportet. 33. q. 4.* videlicet quamdiu durat tempus feriarum, quo interdictae sunt nuptiarum solemnitates, ut exponit Sanch. *L. 7. disp. 7. n. 5.* nisi in alterutro conjugum periculum incontinentiae sit, tunc enim alia poena injungi debet. Perez *disp. 22. sect. 2. n. 3. & seq.* Basil Pontius *L. 6. c. 8. n. 10. qui n. 13. ibid. cum Palao disp. 4. de sponsal. pu. 2. §. 1. n. 4.* hoc etiam extendit ad illas benedictiones, quae adhibentur in secundis nuptiis: esto enim, in rigore benedictiones nuptiales non sint, faciunt tamen ipsae quoque ad solemnitatem nuptiarum, istis temporibus prohibitam, quod negari non potest. Alterum est, quod per solemnitatem intelligitur, solemnitas traductio sponsae in domum sponsi cum celebri pompa, & festo musicorum instrumentorum sono; quibus accedit tertium, splendida convivium, choreae, & alia ejusmodi mundana gaudia, quae nuptias ordinariè comitari solent, quaeque non parùm dedecent illorum temporum sanctitatem, & venerationem, ac convenientem Christianis hominibus illis diebus modestiam, men-

temque nimium avocant à Divinis. Per haec quoque committi peccatum mortale, docent Cajet. in *summula V. Nuptiarum peccata. Armilla V. Nuptiae.* Petrus Ledesma *q. 50. de Matr. art. Vnic. col. penult.* Sed mitigandam puto hunc rigorem cum Sanch. *L. c. n. 19. & Perez. n. 5.* & dicendum, si ista fiant cum nimio excessu, ita ut sanctitati temporis notabiliter detrahatur cum offensione, & scandalo fidelium, esse peccatum mortale; si tamen fiant cum aliquo quidem, non tamen nimio excessu, venialem culpam non excedere, ac aliquando omnino nullum esse peccatum propter consuetudinem toleratam, ubi ista moderatè fieri solent, Episcopis conniventibus.

5. Ex istis porro deduco 1. non prohiberi tempore clauso, seu feriato sponsalia de futuro, quia nullus textus Juris est, qui ea interdicat. Sanch. *cit. n. 7.* Petrus de Ledesma *l. c. Pontius &c.* Nec prohibentur eo tempore fieri denunciations, quae Matrimonio praemittuntur, ut declaravit Congregatio Cardinalium super negotia Episcoporum 12. Dec. 1589. apud Jacobum Pignatellum *Consult. Canoniar. tom. 9. consult. 133. n. 87.* Sanch. Pontius &c. Nec interdicatur Matrimonij consummatio tempore feriarum, si ante illud contractum est, quidquid aliqui contradicant, cum nullo jure ostendi possit haec prohibitio, & eo tempore vacare copulae conjugali culpa vacet.

vacet. Sanch. l. c. n. 23. Filiuc. tr. 10. p. 2. c. 9. n. 271. Aloys. Riccius in praxi rerum fori Ecclesiast. tom. 4. resol. 565. Bonac. quod verum est, etiam si contra Ecclesie prohibitionem, & cum peccato mortali nuptias celebrassent solemniter, quia licet hoc tempore contractum Matrimonium sit illicitum, validum tamen est, nec adest aliquid, quod debiti redditionem, petitionemve impediatur, ut sit in voto, ipsaque Ecclesia aliud non prohibuit, quam solemnitatem, à qua illatio fieri non debet ad consummationem, quæ diversa est à solemnitate, nam à diversis non fit illatio. L. Papinianus. ff. De Minoribus. Neque ex can. Non oportet. 33. q. 4. probari potest, quod sic contractum Matrimonium non liceat consummare, nec enim asserit dictus canon, ejusmodi conjugibus ipso jure interdictum esse, ne Matrimonium consumment, sed separandos esse in pœnam.

6. Quin imò, spectando Jus commune, non est illicitum etiam hoc tempore contrahere Matrimonium, si istud non solemniter, & cum benedictione fiat, ac periculum scandalis absit, nam Canones superius citati ex causa 33. q. 4. dum ajunt, non licere eo tempore nuptias celebrare, uxorem ducere &c. solam prohibent nuptiarum solemnitatem, ut eos communiter DD. interpretantur. Bonac. q. 3. de impedim. pu. 14. n. 4. Sanch. l. c. n. 12. Filiuc. tr. 10. p.

2. c. 9. q. 2. Coninck. disp. 30. dub. 3. n. 36. Jacobus Marchantius in Resol. Pastoral. tr. 8. c. 3. q. 3. Vallensis n. 2. de Matr. contracto, contra interd. Eccl. ad finem. Petrus Ledesma, Palao &c. idque colligitur etiam ex c. Capellanus. De Ferijs, ubi dicitur, licitum esse, ut quocumque tempore Matrimonium contrahatur, dummodo solemnitas non adhibeatur, ut exponit Glossa V. Quocumque, atque ipsum Concilium Tridentinum loc. supra cit. id non obscure insinuat, quia dum dictis temporibus jubet antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter observari & alijs temporibus nuptias solemniter celebrari permittit, quid aliud dicit, quam tempore clauso solas solemnnes nuptias prohiberi, idque à S. Congregatione Cardinalium declaratum esse testatur Engl p. 3. Man Paroch. c. 5. §. 4. n. 4. : ergo solemnitatibus prætermisissis contractus Matrimonij prohibitus non est, uti neque illius consummatio, quia verum Matrimonium est, contractum in facie Ecclesie coram Parocho, & testibus, sed absque benedictione nuptiali, & alijs solemnitatibus: consummare autem Matrimonium ante benedictionem nuptialem, nullo jure prohibetur. Sanch. n. 23. Coninck. n. 37. idque iterum desummi potest ex Concil. Trident. quod dum sess. 24. c. 1. hortatur sponfos, non autem precipit, ne simul cohabitent ante acceptam benedictionem, clarè insinuat, pec-

peccatum non esse, si Matrimonium ante eam consumment, praesertim si adesset periculum incontinentiae.

7. Dixi num. precedente etiam, tempore clauso contrahi posse Matrimonia, si modò absint solemnitates, spectando ius commune, quia in diversis provincijs, & Dioecibus aliud usus habet, quarum proinde consuetudo servanda est, quæ vim Legis habet. Ita Marchantius cit. loc. n. 3. testatur de Dioecibus Leodiensi, & Mechliniensi. eo tempore Matrimonia ibi etiam sine solemnitate prohibita esse per statuta Synodalia: posterioris prohibitionis verba habentur apud Bernard. Van Elpen Jur. Eccles. Univers. p. 2. tit. 13. de Imped. Matr. c. 2. n. 17. ubi Synodus Provincialis Mechliniensis II. ita statuit: *Tempus clausum diligenter observetur, & si quando ex legitima causa aliqui ad Matrimonium tunc contrahendum per Ordinarium admittantur, abstinendum tamen erit à solemnitatibus nuptiarum conviviorum, choreis, Sponsarum publicis traductionibus, & similibus, quæ temporis Sanctitati repugnant &c.* Idem praescribit Rituale Frisingense, quod, postquam asseruit, Matrimonium omni tempore contrahi posse, monet Parochos, tempore feriato ex Tridentina constitutione solemnitates nuptiarum esse prohibitas, veluti nuptias benedicere, Sponsam traducere, nuptialia convivia celebrare; & tunc subiungit: *Si qui tamen etiam sine his so-*

lemnitatibus tempore vetito Matrimonium contrahere velint, Parochus non assistat, nisi prius habitâ nostrâ licentiâ, exceptis tamen casibus in Iure expressis, qui dilationem non patiuntur. Idem de Dioecesi Constantiensi testatur Gobat tr. 9. cas. 2. n. 71. & universim de Germania Authores Germani. Tannerus tom. 4. disp. 8. q. 4. dub. 2. n. 24. Illung tr. 6. disp. 9. n. 60. Wiestner de Matrim. contracto contra interd. Eccl. n. 34. Laym. L. 5. tr. 10. p. 4. c. 15. n. 1.

8. Ex istis omnibus tandem decido pro casu praesente, potuisse Themiſtium tempore feriato conjungi Trasilæ, & huic Matrimonio assistere Parochum, petito prius consensu Ordinarij, si fieri hoc poterat; aliàs etiam hoc non petito, omiſſis tamen solemnitatibus, & benedictione nuptiarum in aliud tempus dilata, quam etiam omittere ex negligentia, secluso contemptu, & vilipensione, teste Sanch. L. 7. disp. 82. n. 6. peccatum veniale non excedit. Ratio sic decidendi est, quia periculum erat in mora, nec enim expectare potuit, donec elaberetur tempus feriatum, & nisi modò contraheretur Matrimonium, fortassis nunquam futura erat occasio deinceps contrahendi cum gravi damno matris, & sobolis, cum per contractum conjugium illius abstergeretur contracta prius macula, & hujus acquireretur natalium restitutio juxta c. 6. Qui filij fiat legit. ubi dicitur:

tur: tanta est vis Matrimonij, ut, qui antea sunt geniti, post contractum Matrimonium legitimi habeantur. Quæ omnia desumuntur tum ex supra allatis Dicoecsanis Constitutionibus, tum ex cit. ibidem AA. præsertim Laymanno, qui ibi adducit id ipsum, de quo loquimur, vel certè casui nostro simillimum exemplum: attendenda est, inquit, Ecclesiarum consuetudo, quæ apud nos est, ut

Parochus his temporibus Matrimonio, intermissa, vel in aliud tempus dilata benedictione, non assistat, nisi necessitas urgeat; ut si miles in periculo mortis constitutus, vel statim discessurus, concubinam ducere velit, ei que ad spirituale salutem Matrimonium expedire videatur; quamvis etiam hoc casu mos est, ut, si fieri possit, ab Ordinario licentia petatur. Hæc Layman.



§. I I.

De secundo Impedimento, quod est

VETITUM.**CASUS PRIMUS.**

De interdicto propriè sumpto, in quantum significat prohibitionem Ecclesie.

Laura intelligens Symphorosam jam factis denunciationibus nupturam proximè Stiliconi, cui ipsa jam pridem desponsata fuerat de futuro, accusat hunc apud Ordinarium, rogans,
ut

ut perfidum Sponsum compellat ad servandam sibi fidem. Stilico factam negat, quam ipsa assererat, promissionem, & si quid spondisset, ait, id fore irritum ob consanguinitatem, qua jungebatur Lauræ. Et hanc, & objecta Sponsalia examinaturus Episcopus, districtè interim verat Sponso, ne progrediatur ad nuptias cum secunda, donec de re tota melius patesceret; at ipse, prohibitione insuper habita, priusquam ea veniret in notitiam Parochi, coram eo solemniter contraxit cum Symphorosa.

Q. Quid judicandum de hoc Matrimonio, & quam Stilico culpam contraxerit ista transgressione ?

SYNOPSIS.

1. Quotuplex sit Ecclesia veritum, & quid significet in sensu proprio ?
2. Interdicere ad certum tempus Matrimonium non solum ad Pontificem, vel Episcopos, sed etiam ad Parochum pertinet.
3. Nequit verò Magistratus secularis subditis suis Matrimonium prohibere; & quando in certis casibus id licitè facit, non inducit hæc prohibitio impedimentum, de quo hîc loquimur.
4. Prohibitione factâ à potestate Ecclesiastica non solum impediri, sed etiam dirimi Matrimonia, aliqui opinantur, ex textibus Iuris Canonici posse erui.
5. Contrarium tamen dicendum est, nisi sit prohibitio Pontificia, quæ habeat adjectam clausulam irritantem.
6. In casu præsentè contrahens contra interdictum Ecclesiæ validè quidem contraxit, sed illicitè, peccavitque mortaliter, quod plerunquæ fit; aliquando tamen talis transgressio solum venialis est.

Pp

I. Ecclesiæ

I *E*clesiæ *vetitum* dupliciter intelligi potest, nam vel accipitur in sensu proprio, ac stricto hujus loci, vel ampliore, & minùs proprio. Propriè sumptum est *interdictum speciale, & particulare*, quo certis personis Matrimonium ad tempus interdicitur ex justa causa, quia v. g. vel suspicio est latentis alicujus impedimenti, vel alterius inhabilitatis inter contrahentes, usque dum rei veritas magis pateat. Alio sensu per *vetitum Ecclesiæ* significatur interdictum *generale, vel locale, vel personale*, quod propriè spectat ad censuras; quia tamen connexionem habet cum præsentè impedimento, & circa hoc quoque interdictum moveri dubium potest, an, stante eo, licitum sit contrahere Matrimonia, utrumque exponetur in hac quæstione, ita ut interdictum, quatenus censura est, sequenti casui reservetur, at in præsentè accipiatur in sensu proprio, & stricto.

2. Interdicere ad tempus, ne contrahatur Matrimonium, potest in primis Pontifex, qui est fidelium omnium totius Christiani orbis supremus Judex, & pastor, nec est, qui circa istud difficultatem moveat. Id ipsum potest Episcopus in sua Diocesi, & sede vacante Capitulum, ut iterum explorati Juris est, nec enim constat ex ullo Canone,

Pontificem *privativè* ad Episcopos hanc sibi potestatem particularibus personis interdicens Matrimonium reservasse. Et verò prohiberi particularium personarum conjugia, sæpissimè conducit, ac aliquando omnino necessarium est ad animarum salutem, & Ecclesiæ tranquillitatem procurandam: competere ergo debet ista potestas Episcopis, quando hujusmodi prohibitionem justa causa exigit, ut Matrimonium interdicitur ad tempus, vel quia alter è Sponsis cum alia persona prius contraxit Sponsalia, quæ sine gravi causa violari non debent, vel quia putatur, inter contrahentes subesse impedimentum consanguinitatis, ut veritas indagetur; vel quia timetur orituræ magnæ rixæ, si Matrimonium permittatur statim celebrari, & quæ similia sunt. An autem Paro his quoque competat in sua Parochia hujusmodi potestas, dubium videri potest ob textum c. 1. De Consang. & affinit. ubi dicitur: *causas Matrimoniales non debere tractari per quoslibet, sed per judices discretos, qui potestatem habeant judicandi, & statuta Canonum non ignorent*: talis autem non est Parochus, cum nequeat aliquid agere in foro externo, ipsumque Tridentinum Sess. 24. c. 20. de reform. V. Adhæc, à fortiori hoc prohibet Parochis, cum neget etiam Decanis, & Archidiaconis, nam ait: *Ad hæc causæ Matrimoniales, & criminales non Decani, Archidiaconi, aut alii-*

rum inferiorum iudicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini, & jurisdictioni relinquuntur.

Sed dicendum, etiam Parochos posse Matrimonium ex dictis causis, ad sedandum scandalum, indagandam veritatem &c. ad tempus interdiceret, ut docent Sanch. L. 7. disp. 6. n. 6. Perez, disp. 23. sect. 1. Hurtad. & communiter alij, non quidem ut causam aliquam Matrimoniam per indaginem iudicalem Parochus cognoscat, ac definiat, nam hoc ad superiorem potestatem Iudicis Ecclesiastici pertinet, verum ut extra-judicialiter contractum Matrimonij tantisper impediatur, donec causa ad ordinarium iudicem delata discutatur, & per sententiam terminetur; atque ad hoc agendum Parochus etiam obligatur ex officio, ut manifestum est ex c. fin. De clandest. despons. ubi monentur Parochi, ut diligenter investigent, num Matrimonio contrahendo aliquod impedimentum obstat, & si de eo probabilis conjectura apparuerit, contractus interdicatur expresse, donec, quid fieri debeat super eo, manifestis constituerit documentis, atque iterum S. ult. ibid. sane si Parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpae qualitas postulaverit: potest ergo Parochus ad tempus Matrimonia impedire, donec de ijs, quid agendum sit, iudex Ecclesiasticus cognoscat; atque hoc agere debet ex officio, nec enim redderetur

tam gravi poenae obnoxius, nisi hoc omittendo obligationi muneris sui contraveniret; ad Ordinarium vero deinde spectat, qui gaudet iudiciali potestate, ut causas Matrimoniales pertractet, ac circa similes casus judicialiter cognoscat, testes audiat, probationes examinet, & quid agendum sit, pronuntiet, atque hoc unice, & nihil aliud intendit c. 1. De Consang. & affinit. supra in contrarium allatum, ut consideranti patebit.

3 Ut vero Principes, vel Magistratus saeculares subditos suos a contrahendo Matrimonio impediatur, nullo modo concessum est, nam Matrimonia hodie reguntur jure poli, non jure fori, ut loquitur Gratianus ad c. Euphemium, 2. q. 3. nec possunt statueret quidquam laici, quod Matrimonij libertatem offendant, cum causae Matrimoniales ad iudicem Ecclesiasticum privative spectent, adeo ut, qui oppositum velit esse probabile, periculum subeat (ne quid amplius dicam) incurrendi suspicionem minoris obedientiae, & reverentiae erga Ecclesiam, ejusque potestatem. Quin imò non desunt, qui putent, tales incidere in excommunicationem latae sententiae, à Synodo Tridentina statutam sess. 24. de reform. Matr. c. 9. in Dominos temporales, & Magistratus, qui quovis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscunque alios cogunt, quò minus liberè Matrimonia contrahant; ita enim

enim exponit Marta p. 4. de Jurisdic. cent. 1. cas. 71. n. 23; unde precipitur sub anathematis pœna, ne quovis modo directè, vel indirectè cogant, quò minùs Matrimonium contrahant. At meo judicio censuram hanc à S. Synodo decretam illi non incurrunt, quia aliud est, quod dicit Marta, prohiberi sub anathemate, ne cogant quoscunq̃ue, quò minùs Matrimonium contrahant, atq̃ue aliud, quod ait Tridentinum, ne cogant, quò minùs liberè Matrimonium contrahant: per hoc plus non intendit Concilium, quàm ut libertas in contrahendo Matrimonio non eripiatur, & ad contrahendum aliquis compellatur contra suam voluntatem, cùm Matrimonia oporteat esse libera; non autem dicit, ne cogant quempiam abstinere à Matrimoniali contractu, quem tamen sensum verba Doctoris Martæ important; hinc S. Synodum non loqui de prohibentibus, ne contrahatur Matrimonium, verùm de ijs, qui ad id ineundum compellunt, docent expressè Bonac. q. 3. de Matr. pu. 8. n. 34. Henriq. L. 11. c. 6. n. 5. in comment. Lit. G. Gobat tr. 9. cas. 1. n. 21. quia lex illa Tridentina eo ipso, quòd pœnalis est, extendi non debet ultra proprietatem verborum: prohibitio autem non continetur sub proprietate coactionis: ergo non idem est iudicium de ijs, qui contractum prohibent, & qui ad contrahendum cogunt. Præterea, ut bene advertit Tannerus tom.

4. disp. 8. q. 4. dub. 1. n. 14. docemur experienciã, Principes sæculares, Magistratus, aliosq̃ue Dominos Matrimonium subinde aliquibus interdicerem certo quodam modo, quo nemo asserit, eos illicitè agere, nedum obnoxios fieri anathemati (quæ quidem prohibitio, propriè loquendo, impedimentum non inducit, de quo hîc loci sermo est) sic enim videmus, non assumi vel servos, vel ancillas, vel alios ad certa quædam officia, nisi cœlibes, & sub conditione, quamdiu cœlibes manserint; dimittendos, si Matrimonium contraxerint, sic etiam copiarum Ductores, & Præfetti bellici sub signis suis militantibus nuptias prohibent ex justa causa, ne nimîa mulierum, proliumq̃ue multitudine oneretur exercitus, ipsiq̃ue milites voluptatibus emolliti jam minùs apti sint ad Martios rigores, & subeunda pericula; per hoc tamen non impeditur Parochus, per se loquendo, ne tali Matrimonio assistat, nec ipsi bellici officiales intendunt ullo modo involare in jurisdictionem Ecclesiasticam, cujus est impedimenta Matrimonij ponere, eamvè sibi arrogare, sed ejusmodi militem postea ut minùs jam idoneum vel exauctorant, vel puniunt obinobedientiam, quòd contra prohibitionem, non petita licentiã, uxorem duxerit, quam si petijisset, fortè non difficulter superiores ipsi persuasissent, ne vellet sibi loco, & tempore importuno novum

vum onus imponere, quod etiam ca-
stris futurum esset impedimento.

4. Cæterum etsi communis Sen-
tentia sit, *Ecclesia vetitum*, seu pro-
hibitionem conjugij à potestate Ec-
clesiastica emanantem impedire dun-
taxat Matrimonium, unde inter
impedimenta solum impedientia nu-
meratur, non inter dirimentia,
quia non eo ipso, quod aliquid pro-
hibetur, nullum esse colligitur,
quod secus factum fuerit, nam, ut
habetur in c. Ad Apostolicam. De
Regular. *multa fieri prohibentur, que
si facta fuerint, obtinent firmitatem*;
nihilominus fuere, qui dicerent,
irrita esse conjugia contra Ecclesiæ
prohibitionem contracta, ubi ta-
men plerunque distinctionem fa-
ciunt, an prohibitio facta sit per
Constitutionem generalem, an per
præceptum personale, & an causa
prohibitionis temporalis fuerit, an
perpetua? idque in inhibitionibus,
quæ facta sunt à Papa, conantur
ostendere ex Can. Videtur. 35. q. 6.
*Videtur nobis, quod secunda, quam con-
tra prohibitionem Ecclesiæ duxit, non sit
uxor, etiam si primam non haberet de-
sponsatam, nam quod contra interdictum,
& ordinem Ecclesiæ factum est, tanquam
inordinatum, ratum non haberi, tam Divi-
næ, quam humane legis proclamatur au-
thoritas.* Quando autem prohibitio
facta est ab Ordinario Papæ Inferio-
re, id ipsum volunt eruere ex c. Tua
fraternitas. De Sponsa duorum,
ubi Alexander III. Episcopo Januea-

si ita rescribit: *Et si contra interdictum
Ecclesiæ ita publicè factum venire præsump-
serint, Matrimonium tam præsumptuosè
contractum poteris irritare.*

5. Sed dicendum, conjugium
contra interdictum Ecclesiæ contra-
ctum invalidum non esse, si aliud
non obsit, quam simplex prohibitio.
Et quidem de interdicto à Parocho,
vel Episcopo emanante res manife-
sta est, namque potestas constituen-
di impedimentum dirimens ad con-
trahendum Matrimonium neque
Episcopis concessa est. De Papa
quoad hoc punctum docent Palao
disp. 4. de Sponsal. pu. 2, §. I. n. 2.
Basil. Pontius L. 6. c. 7. n. 4. & seq.
Sanch. L. 7. disp. 2. n. 10. & Gonzal.
in c. fin. De Matr. contra interdict. ip-
sius quoque prohibitionem, quo-
ties simplex fuerit, hoc est, con-
jugium simpliciter prohibens, sine
addito decreto, seu clausula irritan-
te, impedire quidem Matrimonium,
sed non dirimere, sive hæc prohi-
bitio facta sit per constitutionem
generalem, sive per præceptum par-
ticulare; sive causa temporalis sit,
sive perpetua, nisi tamen per cau-
sam perpetuam idem intelligatur, ac
causa dirimens, nam sæpe in Jure
pro eodem sumuntur, ut patet ex
Glossa in c. Tua fraternitas. De Sponsa
duorum. V. poteris, aliisque pluribus
locis apud Wiestner *De Matrim. con-
tract. contra interd. Eccl. n. 17.* sic
enim per se manifestum est, tale
conjugium esse irritum. At verò
si Pontifex

si Pontifex clausulam irritantem addat, quam addere potest ex causa rationabili, cum potestatem habeat, causam iustam intercedente, inhabilem reddendi etiam personam singularem ad Matrimonium aliquod contrahendum, sicuti hoc potest generali sua constitutione, tunc enim verò fatentur dicti AA. nullum esse Matrimonium contra eiusmodi prohibitionem contractum: exemplum habemus talis interdicti clausulam irritante muniti in c. Ad dissolvendum. De Despons. impub. ubi ad finem dicitur: *Quod si contra interdictum nostrum in præjudicium ipsius aliquid fuerit attentatum, id irritum esse decernimus, & viribus omnino carere.*

Allata superius in contrarium ec. Juris Canonici conjugij irritationem non evincunt. Quippe in *can. Videtur. 35. q. 6.* dum dicitur, ob interdictum non haberi ratum Matrimonium contra illud contractum, intelligitur interdictum, seu prohibitio irritans, ut exponit Gonzalez in c. 3. *Qui Matrim. accus. n. 2.* quod non est contra nos. Neque c. *Tua fraternitas.* plus roboris habet, namque in eo agitur de casu, quo aliqua petit coram suo Iudice aliquem in maritum, dicens, contraxisse secum de præsentate, iste verò appellat ad Sedem Apostolicam, sed appellatione pendente, & Sententia necdum secuta, aliam duxit in uxorem, in quo casu rescribit Pontifex, ut Iudex ei, qui sic voluerit

appellare, publicè interdicat, ne ante decisionem causa cum alia contrahat, quod si tamen fecerit, tum Matrimonium tam præsumptuose contractum irritet, hoc est, ut exponit Glossa, eos ab invicem separet usque ad causam decisionem, donec nempe cognoscatur de valore prioris conjugij: *quo probato, separantur ex toto, lata divertij Sententiâ inter eos; illius autem valore non probato, remanebunt simul, quæ sunt verba Glossæ.* Ex hoc autem non probatur, ob solam prohibitionem Ecclesiæ, de qua hic Sermo est, Matrimonium dirimi, unde meritò subijcit Glossa: *Interdictum Ecclesiæ non est tanta efficacia, ut separetur Matrimonium contra illud contractum, nisi subsit causa perpetua, hoc est, impedimentum dirimens, de quali in eo capitulo agitur, nempe de impedimento ligaminis: manet igitur inconcussum, interdictum Ecclesiæ impedire quidem, non autem irritare Matrimonium; id quod clarissimè constat ex argumento c. 1. De Matr. contract. contra interdict. Eccl. Matrimonium contra interdictum Ecclesiæ, vel Iudicis factum, seu contractum, propter hoc salum non dirimitur. Et c. 2. Eod. ad finem: Licet enim contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerit, non est tamen conveniens, ut ob id solum Sacramentum conjugij dissolvatur; alia tamen pœnitentia eis debet imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.*

6. Ex duobus hisce cc, ultimo loco adductis docent Authores communiter, Matrimonium contrahentes contra interdictum, vel prohibitionem Ecclesiæ peccare mortaliter, nisi ea manifestè injusta videatur, quod tamen præsumendum non est. Ita Bonac q 3. De Imped. Matr. pu. 14. n. 3. Cajetanus V. Matrimonium c. 2. §. Et scito peccatum esse Armilla V. Matrimonium n. 54. Coninek disp 30. dub. 3. n. 23. Petrus Ledesma de Matr. q. 50. art. unic. conclus. 4. Toletus L. 7. Summa c. 14. n. 2. & c. 18. n. 4. Hurtadus, Reginaldus &c. & meritò, quia est transgressio præcepti in materia gravi, idcirco dicitur, debere ipsis imponi pœnitentiam, & separandos in pœnam ad tempus, quæ pœna cum gravis sit, non nisi ob culpam gravem imponi debet. Imò a fin. De Matrim. contract. contra interd. Eccl. præcipitur, ut tales insuper excommunicentur, quæ censura gravissima non fertur, nisi propter peccatum mortale.

Hæc omnia procedunt in casu nostro, quia contraxit Stilico nondum ostensâ consanguinitate, quam dixerat inter se, & Lauram intercedere cum impedimento dirimente, nè satis examinâtâ, atque probata libertate ab impedimento ligaminis, cum diceretur contraxisse cum Laura de futuro: nihilominus si re ipsa

aliud impedimentum non adfuit, quàm facta ipsi prohibitio, tenuit Matrimonium cum Symphorosa contractum, at contrahendo mortaliter peccavit, ut in præsentè casu negari non potest.

Ceterùm, etsi Sententia prædictorum AA, quòd interdicti violatio peccatum mortale contineat, in his, & similibus circumstantijs verissima sit, nec dubitari possit, plerunq̃ue ita evenire, non tamen dixero, eam omnino universalem esse, semperq̃ue committi culpam gravem interdicti transgressione, namq̃ue an prohibitio sub culpa lethali, an verò aliquando solum sub veniali obliget, ex ipsa causa prohibitionis, & circumstantijs desumendum est, ut docent Basil. Pontius L. 6. c. 7. n. 8. Sanch. L. 7. disp. 17. n. 1. Palao disp. 4. de sponsal. pu 2. §. 1. n. 2. & Tannerus tom. 4. disp. 8. q. 4. dub. 2. n. 23. nam fieri quandoque potest, ut hoc præceptum solum sub veniali obstringat, si v. g. in venerationem alicujus Sancti, aut propter festi alicujus celebritatem prohibitio Matrimonij eo die fiat, non enim videtur graviter offendi festi veneratio, tàmetsi Matrimonium celebretur, unde quamvis ex genere suo hujusmodi transgressio sit peccatum mortale, in casu tamen particulari potest esse veniale.

CASUS



CASUS SECUNDUS.

De interdicto, quod est censura Ecclesiastica, an impediatur Matrimonium?

Parata jam erant omnia, ut nuptias publicè celebraret Getulius cum Alcina, diesque designata, qua istud fieret; hanc dum expectant Sponsi, interea oppidum, cuius ipsi cives erant, unà cum incolis generali interdicto affectum est.

Q. An stante hoc interdicto Matrimonium nihilominus contrahere potuerint?

SYNOPSIS.

1. Quid propriè sit, & quocuplex, interdictum, in quantum est censura Ecclesiastica, & quos effectus habeat?
2. Tempore interdicti validè, ac licitè contrahuntur Sponsalia de futuro, suntque denunciationes.
3. Imò etiam Matrimonium in interdicto contractum validum est.
4. Juxta multos tamen contrahitur illicitè.

5. Sed

5. Sed verius est oppositum.
6. Benedictiones nuptiales conferri non possunt in interdicto.
7. Admittuntur tamen aliqua limitationes ex Jure moderno in interdicto locali generali.
8. Etiam quoad censuratos interdicto personali magna est diversitas.

I. **I**nterdictum, in quantum est censura Ecclesiastica, inter impedimenta Matrimonij, de quibus hic agimus, uti in casu superiore dictum est, proprie non pertinet, cum ijs tamen affinitatem aliquam habet ob effectus, quos inducit, si quidem per hanc censuram omnium Divinorum Officiorum, quorundam Sacramentorum, & sepultura Ecclesiastica participatio prohibetur. *c. Non est vobis. De Sponsal. & c. Quod in te. De Paenit. & remiss.* unde merito dubitatur, an inter hæc Sacramenta, quorum participatio per interdictum tollitur, Matrimonium quoque comprehendatur, ita ut tempore interdicti contrahi non possit?

Ut clariùs pateat hæc controversia, notanda est divisio interdicti in locale, & personale. Illud directè & immediatè locum afficit, ne in eo Divina celebrentur, vel audiantur, mediatè autem personas quascunque, scilicet tam indigenas, quàm alie-

nigenas, hæc enim omnes in tali loco assistere Divinis, ac participare in sacris illis functionibus prohibentur. Hoc, sive personale, directè, & immediatè afficit personas, quæ à Divinis absolute, & in quocunque loco celebrandis, vel participandis prohibentur. Nonnunquam conjunguntur hæc duo interdicta, ut & locus, v. g. oppidum, aut civitas, & ipsa etiam communitas, sive incolæ talis oppidi interdicanter, quæ consequenter non solum in hoc loco, sed etiam in quovis alio interdicti manent, & à Divinorum participatione arcentur: dici solet interdictum hoc *mixtum*, quale proponitur in præsentè casu.

Rursus utrumque interdictum tam locale, quàm personale dividitur in *generale*, & *particulare*. Generale locale est, quod plura loca particularia sub se continet. Speciale, quod specialem locum spectat: in exemplo. Interdictum locale generale est, quod fertur in regnum, provinciam, Dioccesin, civitatem, oppidum &c, imò quod fertur in

Q. 9.

Paro-

Parochiam, quando ea plures sub se Ecclesias continet, ut advertit Palao *disp. 5. de censur. pu. 1. n. 4.* Particulare locale est, quod in locum determinatum fertur, unum, vel plures, ut si una, vel plures Ecclesie alicujus civitatis supponantur interdicto, tunc enim peragi Divina possunt in alijs Ecclesijs, & Oratorijs privatis. Similiter interdictum personale generale est, quod fertur in communitatem, prout constituit unum corpus politicum, v. g. dum interdicitur populus unius provincie, civitatis, oppidi &c. Particulare est, quando fertur in personam particularem, unam, vel plures, in quantum considerantur ut personae particulares. In casu nostro interdictum utrumque, tam locale, quam personale generale est. His praenotatis.

2. Certum est 1. licite, valideque tempore interdicti Sponsalia de futuro contrahi, sive locus interdictus sit, sive persona. Suarez *disp. 33. De censur. Sect. 1. n. 46.* Pontius *L. 6. c. 9. n. 1.* Ugolinus *De Censur. Eccles. tab. 5. c. 7. §. 3. n. 2.* Ratio est, quia Sponsalia neque sunt Sacramentum, neque aliquid Sacrum, nec Divinum Officium, sed sunt praecise contractus quidam humanus, atque ideo non continentur in his, quae per interdictum prohibentur. Idem dicendum est de denunciationibus futuri Matrimonij. Quod si tamen aliqui antiqui Scriptores

negarunt, tempore interdicti denunciations fieri posse in Ecclesia, hoc ideo dixerunt, quia denunciations olim fiebant sub Sacrificio Missae; quia igitur interdicti tempore Missae non dicebantur, denunciations fieri non poterant, nunquam tamen illicitum erat, denunciations facere tempore concionis, namque per interdictum non prohibetur concio, nec enim comprehenditur ea sub Divinis Officijs, quia non tam ordinatur ad colendum Deum, quam ad populum in lege Christiana, & via virtutis rite instituendum. Palao *disp. cit. §. 2. n. 2.* Hodie minor circa hoc difficultas est, postquam ampla illa Divinorum Officiorum prohibitio limitata fuit in c. Alma Mater. De Sententia Excomm. in 6. ut tempore interdicti *singulis diebus in Ecclesijs, ac Monasterijs Missae celebrentur, & alia Officia Divina, sicut prius, submissi tamen voce, januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & campanis non pulsatis,* quae quidem limitatio intelligi debet tantum de interdicto locali generali; si autem Ecclesia specialiter interdicta sit, non est concessum Clericis sacra Officia dicto modo celebrare, ut cum communi exponit Laym. *L. 1. tr. 5. p. 4. c. 1. n. 3. V. Porro haec.* Imò etsi haec limitatio nunquam facta fuisset, vel etiam nunc Ecclesia specialiter esset interdicta, & in eadem celebraretur sacrum, atque denunciations fierent, committeretur quidem

dem peccatum ibidem celebrando sacrum, non tamen peccaretur faciundo denunciatione. Sanchez *L. 7. disp. 8. n. 7.* quia, cum hæ non sint Officium Divinum, non opponuntur interdicto.

3. Certum est 2. Matrimonium tempore interdicti initum, sive id factum sit in loco generaliter tantum, sive specialiter interdicto, sive illud contractum fuerit à personis etiam specialiter interdictis, si aliud impedimentum Canonicum non adsit, validum esse, ita cum Suar. & Pontio *ll. cc.* docent Perez *disp. 23. sect. 1. n. 3.* Covarr. in *c. Alma Mater. p. 2. §. 2. n. 7. V. Matrimonij autem.* Bonac. & communis aliorum. Ratio est, quia non potest offendi ullus Canon, quo irritetur tale Matrimonium; econtra in *c. Capellanus. De Ferijs.* aperte habetur, Romanæ Ecclesiæ consuetudinem esse, ut quocumque tempore contrahatur Matrimonium, interveniente legitimo consensu de presenti, præterquam diebus ibidem enumeratis, in quibus nihil dicitur de interdicto: quem textum de validitate Matrimonij intelligendum esse, exponit Barbosa *in cit. c. n. 3.* & admittunt eundem pro Matrimonij valore ij quoque omnes, qui docent, in interdicto conjugium illicitè contrahi. Confirmatur, quia Matrimonium etiam inter excommunicatos contractum validum est; ergo validum quoque erit ab interdictis contractum, etiamsi ob excessus

proprius interdicti sint, quia isti ad summum comparantur excommunicatis in usu Sacramentorum: consequenter à fortiore validum erit Matrimonium in loco interdicto initum, quia minus potest circumstantia loci, quàm personæ, Matrimonium invalidum reddere.

Aliqui, ut pondus addant huic confirmationi, adducunt verba Glossæ in *c. Alma Mater. sup. cit. V. Sacramentis*, ubi ait: *tenet etiam Matrimonium contractum tempore interdicti, cum teneat etiam contractum ab excommunicato majore.* Nolui ego allegare hunc textum, quia ratio, quam pro hac sua assertione Glossa adstruit, mihi displicuit, ita enim mox subjungit: *licet enim illud (nempe Matrimonium) sit Sacramentum, non tamen sic confertur gratia per illud, sicut per alia*, quasi diceret, ideo tenere contractum in interdicto Matrimonium, quia Matrimonium, etsi sit Sacramentum, non tamen est Sacramentum, quod gratiam confert, qua ratione superius diximus, Authores quospiam Matrimonium appellasse duntaxat analogicè Sacramentum. Sed hanc doctrinam Glossæ falsam esse, & sine labe hæresis defendi non posse, merito docent Barbosa *De offic. & potest. Epis. Allegat. 32. n. 198.* Covarr. & Suar. *ll. cc.* quia omnia Sacramenta novæ legis conferunt gratiam, ut definitur in Concilij Florentino, & Tridentino. *Sess. 7. de Sacram. in genere can. 1. & 6.*

ubi inter Sacramenta novæ legis ponitur Matrimonium, & de iisdem dicitur universim, quod collativa sint gratiæ, idemque in specie rursus asseritur de Matrimonio ab eodem Concil. Trid. *Sess. 24. Can. 1.* Ad hæc nulla prorsus dicendi ratio est, ideo valere Matrimonium, quia gratiam non confert, nam & Ordo tempore interdicti datus, vel personæ interdictæ, validus est, ut nemo negat, & tamen est Sacramentum conferens gratiam, ut iterum nemo negabit: ergo etiam Matrimonium, etsi sit Sacramentum collativum gratiæ non minus, ac cætera Sacramenta, in interdicto vel locali, vel personali contractum, validum est.

4. Major difficultas est, an etiam licite Matrimonium contrahatur tempore interdicti, vel à personis interdictis? Negativam defendunt multi, ijque graves Authores. Suar. *disp. 33. de Censur. d. 1. n. 51.* Ugo-
linus *tab. 5. c. 7. §. 3. n. 1.* Barbosa *de Offic. & potest. Episc. alleg. 32. n. 200.* Sayrus *L. 5. thesauri c. 7. n. 45.* Bonac *disp. 5. de censur. pn. 3. §. 3. n. 8.* Filliuc. *tr. 18. c. 2. n. 51. & seqq.* Prapof *in 3. p. 9. 4. de interd. dub. 3. n. 23. & q. 7. de impedim. impedient dub. 24. n. 211.* Basil Pontius *L. 6. de Matr. c. 9. n. 3.* Reginald. *L. 32. tr. 3. n. 28.* Dicastillo *tr. 10. de Censur. disp. 5. dub. 4. c. 3. n. 134.* Engl. *de sent. Excommun. n. 94.* saltem quando sponsi ex sua

culpa specialiter interdicti sunt; hoc enim modo limitat ipse istam opinionem, alijque plures. Ratio ipsorum est, quia quotiescunque aliquid generaliter est prohibitum, si non interveniatur exceptum, non potest dici, licite fieri, ut colligitur ex verbis Clement. 1. *De Verb. signif. §.* porro ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum: atqui receptio, & administratio Sacramentorum tempore interdicti generaliter est prohibita. c. *Si sententia.* De Sent. excomm. in 6. ubi de interdictis per generale, ac personale interdictum dicitur: *non debent alicubi (casibus expressis à Jure dumtaxat exceptis) audire Divina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta:* excipiuntur verò in Jure solummodo Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ per modum viatici: cum ergo Matrimonium nusquam excipiat, ex ipsa horum exceptione colligitur, illud sub generali prohibitione comprehendi, ac proinde tempore interdicti contrahi licite non posse.

Confirmat suam opinionem ulterius ex eo, quod excommunicatis, etiam minore excommunicatione, cujuslibet Sacramenti, etiam Matrimonij, receptio prohibita sit: ergo etiam interdictis prohibita ceteri debet, cum interdictum gravior censura sit, quàm excommunicatio minor.

5. His

5. His tamen non obstantibus, preferenda est sententia contraria, & vera, pro qua stant Laym. l. 1. tract. 5. p. 4 c. 2. n. 1. Covarr. l. 6. Sylvester V Interdictum 5. n. 9. §. Quinta exceptio est. Navarr. in Manuali c. 27. n. 179. Coninck. de censur. disp. 17. dub. 2. n. 48. Sanch. de Matr. l. 7. disp. 8. n. 2. Gibalinus De sacra Iurisdict. in ferendis censur. disquis. 7. q. 14. consecrario 13. n. 40. Illung tract. 7. disp. unio. de censur. n. 68. Less in praefect. posthum. c. 2. de interdicto n. 8. Hurtad. tract. de interdicto difficult. 8 n. 27. Mathias à Corona de potest. Episc. tr. 2. c. 15. §. 3. n. 2. Sylvius in addit. ad 3. p. 9. §. 50. de imped. Matr. Avila p. 5. de censur. disp. 4. sect. i. dub. 6. Pirrh. de sent. excomm. n. 236. Palao disp. 5. de Censur. pu. 4. §. 1. n. 25. Diana p. 5. tr. 10. resol. 81. Perez, Henriq. Tannerus &c. Ratio praecipua est, ut alias minus firmas omittam, quia per interdictum eorum dutaxat participatio ab Ecclesia prohibetur, quae ipsi à Christo dispensanda commissa sunt, qualia sunt omnia Divina officia, & ea Sacramenta, quae per suos Ministros dispensat: sed tale non est Sacramentum Matrimonij, nam hujus dispensatio, seu ministratio non est commissa Ecclesiae, sed ipsis contrahentibus, qui hujus Sacramenti Ministri sunt: ergo per interdictum non prohibetur Matrimonium. Atque haec vera sunt juxta allegatos

AA. in omni interdicto locali, imò etiam speciali personarum; rectè tamen monet Palao l. c. n. 27. Specialiter interdictos aliunde aliquando à contrahendo Matrimonio removeri, si contumaces existant, quia sic ponunt obicem gratiae per Sacramentum Matrimonij recipiendae, atque ideo illicitè agunt recipiendo Sacramentum in statu peccati: at si contriti sint, & poenitentes, nullatenus à recipiendo Matrimonio excluduntur, quia ex vi censurae Interdicti non est prohibita Matrimonij receptio.

Fundamentum contrariae opinionis si quid probaret, aequè probaret pro interdicto quovis generali, atque etiam personali speciali, cum enim Canones absolute, & indistinctè pronuncient, in interdicto illicitam esse perceptionem Sacramentorum, si hac prohibitionè etiam Matrimonium comprehenderetur, consequens foret, quòd interdicto tam generali, quàm speciali Matrimonium prohibitum esset, quod tamen plures Adversariorum negant, voluntque, hanc prohibitionem se extendere ad solos specialiter interdictos: igitur absolute iterum Respondeo, per SS. Canones tempore interdicti prohiberi non omnia Sacramenta, sed ea tantùm, quae dispensationi Ecclesiae commissa sunt, inter quae cum non sit Matrimonium, non prohibetur illud sive localiter, sive personaliter, atque etiam

etiam specialiter interdictis. Ad confirmationem negatur consequens, quia excommunicatis aperte prohibetur participatio cujuscunque Sacramenti, non autem interdictis: ergo paritas inter eos non est.

6. Ex istis verò oritur dubium, an tempore interdicti licitum quod sit, adhibere solemnes nuptiarum benedictiones, cum validè, liciteque in interdicto contrahi Matrimonium possit?

Resp. Qui affirmativam teneat, vix reperire est aliquem, præter Angelum, qui in sua *summa Angelica V. Interdictum c. n. 30.* docet, securiùs quidem esse ab ijs abstinere, licitas tamen esse arbitratur benedictiones nuptiales eo ipso, quòd licitum sit contrahere Matrimonium, ad quod benedictiones nuptiales sunt aliquid accessorium: ergo, concessio illo, hæc quoque censendæ sunt concedi juxta Reg. 42. de R. J. in 6. *accessorium naturam sequi congruit principalis.* Sic in baptismo, quia istius administratio conceditur, etiam ejusdem solemnitas permessa est, & quia Sacramentum Confirmationis in interdicto conferri potest, etiam chrismatis confectio conceditur. *c. Quoniam. De Sent. Excommun. in 6.*

Ceterùm cum communi tenendum est, tempore interdicti, vel loco interdicto has Benedictiones conferri non posse, ut præter innumeros alios docent Sanch, Palao,

Gibalinus, Bonac. &c. Ratio est, quia hæc benedictiones à Sacerdote, cujus solius hoc Officium est, & quidem tempore Missæ fiunt, adhibitis quibusdam orationibus ad hoc peculiariter ab Ecclesia institutis, ac proinde sub Officio Divino continentur: at Officium Divinum nullatenus licet tempore interdicti à Clericis peragi præsentibus laicis: ergo hæc benedictiones conjugatis, utpote laicis, nequeunt in interdicto conferri. Neque urgent oppositæ rationes; nam accessorium naturam principalis sequitur, quando est eadem ratio in accessorio, ac in principali, eademque dispositio, quod in præsentibus non est, nam nuptialis benedictio pertinet ad Divina Officia, Matrimonium eò non pertinet; nuptialis item benedictio tempore interdicti specialiter prohibetur, cum tamen Matrimonij nulla existat prohibitio. Præterea in baptismo solemnitas, quæ adhibetur, est tale accessorium, quod solet immediatè associari principali, nam hic extra casum necessitatis nunquam administratur sine solemnitate: dum ergo concedit Ecclesia, ut tempore interdicti publicè administraretur baptismus, eo ipso potest, & debet fieri cum solita solemnitate. Chrisma etiam est de necessitate Sacramenti Confirmationis, utpote illius materia, nec potest confici, nisi in feria quinta Majoris hebdomadæ, & quotannis renovari debet: si igitur
tunc

tunc ratione interdicti non conficeretur, administrari non posset Sacramentum Confirmationis: unde sapienter concessit Ecclesia, ut, non obstante interdicto, conficeretur S. Chrisma, adhibendum in Sacramento Confirmationis, & Baptismi.

7. Rigor iste antiqui Juris, si agamus de interdicto locali, per Bonifacium VIII. quoad multa mitigatus est, nam hodie in *c. Alma Mater, De Sent. Excomm. in 6.* ut jam supra insinuatum est n. 2. permittuntur in loco interdicto omnia Divina Officia, cum hac tamen moderatione, ut ista fiant januis clausis, voce submissa, excommunicatis, & interdictis exclusis: ergo etiam benedictio nuptialis adhiberi potest in loco interdicto, dummodo observetur eadem moderatio. Avila p. 5. disp. 4. De Censur. Sect. 1. dub. 6. conclus. 4. Gibalinus De Censur. disquis. 7. q. 14. consuetar. 14. n. 41. Ubi tamen iterum notandum est, favorem istum non extendi ad Ecclesiam speciali interdicto affectam, sed concedi solum Ecclesijs generaliter interdictis, siquidem in illa minimè licet Divina Officia peragere, & benedicere nuptias, etiam adhibitâ prædictâ moderatione, ut observat Sanch. l. c. n. 11. & clarè id asserit Glossa in cit. c. Alma Mater. V. Ecclesijs, ubi ait, non intelligas de Ecclesijs interdictis, sed sitis in loco interdicto: ergo in inter-

dictis solum generaliter inter dicto locali.

Præterea tempore interdicti possunt fieri hæ benedictiones in ejusmodi templis generali interdicto locali affectis, etiam publicè, & apertis januis, ac alta voce in illis festivitibus, in quibus ex privilegio licet ibidem celebrare Officia Divina solemniter, dummodo non sit tempus, in quo benedictiones nuptiales aliàs specialiter interdictæ sunt; proinde fieri hæ benedictiones licitè possunt in festo Assumptionis Beatissimæ Virginis, Pentecostes, & Corporis Christi cum ejus Octava, quod cæteris festivitibus in c. Alma Mater. jam antecedenter expressis addidit Martinus V. & Eugenius IV. nam his diebus interdicti obligatio quoad Divinorum celebrationem suspensa est, retentâ prohibitionem quoad Sacramenta: juxta Palao tamen disp. 2. De Censur. pu 6. §. 1. n. 13. valde probabiliter tunc possunt etiam laici, quibus licitum est assistere Sacrificio, sub eo accipere sacram Communionem: at nuptiarum benedictio non sub Sacramentis, sed sub Officijs Divinis continetur: ergo istis diebus licitè potest fieri etiam solemniter. Non tamen in festo Nativitatis Domini, Paschatis, aut Immaculatæ Conceptionis B. V. cum Octava, quod reliquis adjunxit Leo X. nam in istis festivitibus, licet æquè, ut in prioribus, Officia

Officia Divina solemniter fiant, à quibus soli excluduntur excommunicati, admissis interdictis, si modò specialiter interdicti non sint, vel interdicto generali, aut locali causam dederint, quia tamen specialiter in his posterioribus festis vetita est nuptiarum solemnitas, cum post Concilium Tridentinum ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam, & à feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusivè solennes nuptiæ interdicanur, istis festivitibus benedictio nuptialis impertiri nequit, peccatque, qui his diebus nuptias benedixerit, quia agit contra prohibitionem Ecclesiæ, & non observat sacratum tempus; interdictum tamen, quatenus censura est, non violat, atque ideo neque poenas incurrit illius violationi annexas, v. g. irregularitatem, quia revera interdictum suspenditur illis diebus quoad Divinorum Officiorum celebrationem, ad quam hæ benedictiones pertinent. *Gibalin. l. c. consecr. 14. §. Hinc porro fit. Avila l. c. conclus. 4. Palao & c.*

Denique circa interdictum locale notandum, si incolæ, sive cives non pariter etiam ipsi interdicti sint, sive speciali, sive etiam generali interdicto personali, aut culpam dederint interdicto, posse ipsos interdictum locale sui oppidi fugere, & alibi rei Divinæ adesse, ac extra illud benedictionem nuptialem accipere. Ratio est, quia interdictum

locale hoc ipso, quod locale sit, extra eum locum, quem afficit, non ligat, neque per hoc, quòd locus interdictus sit, etiam incolæ eodem interdicto ligantur, *aliud enim est*, ait Glossa in c. Si Sententia, De Sent. Excomm. in 6. *interdicere solum civitatem; aliud civitatem, & cives*: quando igitur solum locale interdictum est, possunt cives, qui interdicto personaliter affecti non sunt, agere extra, quod intra locum suæ patriæ ipsis non liceret, ut expressis verbis in cit. c. ipsis conceditur: *ceterum cum propter delictum Domini, vel Rectoris est civitas interdicta, cives ejusdem [qui culpabiles non existunt, & dummodo & ipsi propter Dominum, vel Rectorem puniendum in eis non fuerint interdicti] possunt extra ipsam licitè interesse Divinis: ergo & benedici.*

8. Si verò nunc agamus de interdicto personali. iterum distinguendum est, an interdictum hoc speciale sit, quia scilicet conjux est nominatim interdictus, aut causam culpabilem interdicto ferendo dedit, in quo eventu censetur specialiter interdictus. *c. Alma Mater. tit. V. Illis*, an verò sit generale, quia nimirum universitas aliqua est interdicta, v. g. cives alicujus urbis, cujus pars est conjux. Hoc annotato, dicendum, si vel uterque conjux, vel alter tantum sit innodatus speciali interdicto directè, vel indirectè, quia nempe, ut dictum est, interdicto generali, aut locali causam dedit, nullibi pos-

lun &

sunt benedici solemniter, illud enim interdictum personæ adhæret ubilibet, & à Divinis removet ubique: Si autem interdictum personale sit tantum generale, non possunt quidem in loco etiam generaliter tantum interdicto benedici, quia in illo non sunt Divina Officia, nisi cum conditionibus quibusdam, inter quas una est, ut excludantur interdicti, ut supra relatum est ex *c. Alma Mater*, nisi tamen publicè fiant ea Officia solemnioribus festivitatis, & soli excommunicati excludantur, non autem interdicti, præterquam qui causam interdicto dederunt, nam tunc & ipsi benedictionem nuptialem accipere poterunt. Dixi in loco interdicto, nam si loquamur, quid fieri possit extra locum interdictum, rursus considerandum est, an uterque conjux, an unus tantum eorum subjaceat interdicto generali personali? Si uterque; benedici nequeunt, quamdiu partes sunt communitatis interdictæ, quia non minus ipsi, quam reliqua communitas, ubique premuntur eodem interdicto, nec possunt ipsi magis, quam cæteri interesse Divinis, aut alia prohibita percipere; quod si tamen domicilium mutant, alioque commigrent, ibidem habitaturi, sicque desinant esse pars illius communitatis, tunc enim verò possunt percipere solemnem benedictionem, cæteri que Divinis interesse. Denique si unus tantum è conjugibus generaliter interdictus est, rursus at-

tendi debet, an vir sit? an uxor? Si vir est interdictus, manetque pars communitatis interdictæ, nec aliò transfert domicilium, non possunt uspiam, etiam extra locum interdictum, accipere nuptialem benedictionem, quia vir manet etiamnum pars illius communitatis persona in interdicto suppositæ, manet proinde ligatus instar aliorum civium. *c. Si Sententia. De Sent. Excomm. in 6.* vir autem non sequitur forum uxoris; at ex opposito si sola uxor interdicta est, benedici poterunt in loco non interdicto, quia uxor sequitur forum, munera, honores, ac domicilium Mariti. *L. Fœminæ. ff. De Senatoribus, & L. fin. C. De Incolis*; cum ergo ille interdictus non sit, nec pars communitatis interdictæ, neque fœmina censetur esse interdicta, sed gaudet immunitate viri non interdicti, quàm primùm ipsi conjungitur, atque ita contracto Matrimonio deinceps benedici solemniter potest. Ita Gibal. *l. c. Sanch. n. 19.* Pontius & c. Hæc omnia procedunt in interdicto personali generali, quia si quis è conjugibus interdicto personali speciali adstrictus sit, nullibi fas est illis benedictiones nuptiales recipere, donec conjux ille interdicto ligatus absolvatur, quia id interdictum speciale personæ ipsam quocunque se transferentem comitatur instar aliarum censurarum. donec absolutio accedat. *Sanch. ibid.* quæ bene notanda sunt, nam aliqui malè hæc duo

R. r

inter-

interdicta confundunt, & inter ea discrimen non faciunt.

Ex istis verò facile quis perspiciet, quid sit dicendum in dubio præsentis casûs, non solum circa contractum Matrimonij, qui utique licite fieri potuit, sed etiam circa benedi-

tionem nuptialem, si modò attendat, duplex hîc adfuisse interdictum, nempe locale oppidi, cujus pars utraque civis erat, & personale incolarum, hoc tamen non nisi generale; unde opus non est, ut dictis plura addamus.



§. III.

De tertio Impedimento, quod sunt

SPONSALIA.

Er hoc impedimentum intelligitur promissio futurarum nuptiarum alicui facta, nam qui cum aliqua validè contraxit Sponsalia, non potest sine peccato mortali cum alia inire Matrimonium, quia, ut dicit textus *c. Qualiter. De Pactis*, studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur: cum ergo promissio onerosa facta sit in materia gravi, qui eam transgreditur, non potest hac violatione non graviter peccare, nisi prior Sponsa istud permittat, vel aliàs ex justa causa promissio priori facta legitime dissolvatur, nam secùs agit contra fidelitatem, & justitiam,

justitiam, rem uni promissam alteri tradendo, illo invito, quod juri naturæ repugnat. Nihilominus si Matrimonium contractum est cum posteriore, Sponsalibus legitimè nondum solutis, illud validum erit, quia impedimentum hoc non dirimit contractum, sed tantùm impedit Matrimonium contrahendum; nec aliter hic evenit, quàm in alijs contractibus, v. g. in venditione, namque mercator pollicitus uni mercem vendere, infideliter agit, eam vendendo alteri, sed tamen constat venditio, quia actualis traditio fortior est, quàm nuda promissio tradendi. Verùm de hoc sufficienter actum est in prima parte, ubi ex instituto materiam istam tractavimus, proinde supervacaneum est, quæ ibi dicta sunt, hic iterum repetere.



§. IV.

De quartò Impedimento, quod est

V O T U M.

C A S U S P R I M U S.

Volentis transire ad Matrimonium cum voto simplici castitatis.

Gunthramnus adhuc Adolefcens votum nuncupavit perpetuæ castitatis; crescente ætate, cùm stimulis carnis vehemen-

R r 2

tissimis

tissimis urgeretur, easque experiretur difficultates in hujus sui voti observantia, ut tentationibus passim succumbens, in peccatum prolaberetur, nec crederet, vires sibi diutius ad resistendum sufficere, cum plurima media hucusque frustra adhibuisset, ratus, gratus Deo fore, si Matrimonium contraheret, constituit inire conjugium: ne tamen hac in re temerè procederet, consulit Confessarium, an sibi per votum ante plures annos conceptum istud licitum sit, quod sibi licere ipse omnino persuasum habet, eò quòd, si tantas difficultates tunc prævídisset, certò nunquam vovisset?

Q. An in his circumstantijs votum aliquando conceptum adhuc obliget, & quid eidem à Confessario respondendum sit?

S Y N O P S I S.

1. *Votum simplex castitatis est impedimentum tantùm impediens, excepto voto simplici castitatis in Societate JESV, quod Matrimonium dirimit ex speciali Ecclesia constitutione.*
2. *Istud impedimentum est quadruplex, nempe votum castitatis integræ, cælibatûs, assumendi SS. Ordines, & ingrediendi Religionem; nec solùm peccat mortaliter, qui aliquo ex his votis ligatus contrahit, sed etiam ille, qui contrahit Matrimonium scienter cum talibus votis adstricto.*
3. *Vt hæc Vota impediant Matrimonium, debent habere conditiones voti perfecti.*
4. *Etiã vota conditionata conjugium impediunt, sed cum aliqua limitatione.*
5. *An hisce votis adstricto liceat inire Matrimonium cum animo transeundi*

di ad Religionem ante illius consummationem? Refertur Sententia negativa.

6. Sed videtur cum distinctione loquendum esse de istis votis.
7. An, qui post edita ejusmodi vota gravissimas carnis tentationes patitur, iisque passim succumbit, possit propterea transire ad Matrimonium, an verò votum etiam in his circumstantijs conjugium impediat?
8. Potissimum argumentum, ex quo aliqui putant, in his circumstantijs cessare impedimentum, licitumque esse conjugium, examinatur.
9. Pro decisione praesentis casus expenditur, quid respondendum sit à Confessario illi, qui cum hujusmodi voto transire vult ad nuptias?

I. **Q**uod si votum castitatis, de quo hic agitur, intelligitur votum simplex, non solemne, nam hoc ad impedimenta dirimentia pertinet. Circa illud plura hic nobis examinanda veniunt, è quibus aliqua minùs difficilia sunt; ac primò quidem certum est, Votum simplex castitatis impedire quidem Matrimonium contrahendum, sed initum nullo modo dirimere, ut liquidò constat ex Jure c. Meminimus c. Veniens, c. Consuluit. Qui Clerici, vel voventes. Consultationi tuae taliter respondemus, quòd sicut simplex votum

Matrimonium impedit contrahendum, & non dirimit jam contractum, ita &c. c. Rursus. eod. Quòd si, postquam praestitit hujusmodi juramentum, ad nuptias motu proprio convolasset, cum Votum simplex impediatur Matrimonium contrahendum, non tamen dirimat jam contractum, nihil ambiguitatis habet quaestio Fraternitatis tuae. Denique c. Unic. De Voto. in 6. Bonifacius VIII. definit, solùm vota solemnia castitatis, Sacris Ordinibus, & Professioni Religiosae annexa dirimere Matrimonium. Ratio communiter ista affertur, quia emittens votum simplex castitatis perpetuae ineundo Matrimonium peccat quidem contra virtutem Religionis, violando promissionem Deo factam, proinde votum impedit Matrimonium, redditque

ditque hoc ipsi illicitum, quia tamen votum simplex non importat corporis traditionem, sed solam promissionem, hinc verum dominium adhuc manet penes voventem, & res uni promissa adhuc valide tradi alteri potest; tum etiam, quia, qui votum simplex emittit, per hoc proprie non mutat statum, quod tamen fit in voto solemnium, quo vovens se stabiliter Deo tradit, hinc ejusmodi votum, etsi impediat, non etiam invalidat Matrimonium, utpote in quo non solum promissio, sed etiam traditio fit, dum homo se tradit homini in facie Ecclesie, quae ratio desumitur ex S. Thoma q. 53 in *Supplem. art. 1. in C.* Alij paucioribus ferè id ipsum dicunt: non dirimi, sed solum impediri Matrimonium per vota simplicia, quae fiunt extra Religionem, negant verò, id esse intelligendum de votis simplicibus, quae emittuntur in aliqua Religione, qualia sunt, quae eduntur in Societate JESU post Novitiatùs biennium, ibi enim non solum promissio, sed vera traditio fit, unde vota illa non solum impediunt, sed etiam dirimunt conjugium.

Verùm hæ rationes in sola traditione, ac mutatione statùs fundatæ non satisfaciunt, nam teste Basilio Pontio *L. 6 c. 12. n. 1. & L. 7. c. 12. 14. & 22.* primis Ecclesie sæculis Religiosi per nuncupata vota verè constituebantur in certo statu seque tradebant Deo in perpetuum,

quantum erat ex parte ipsorum, vota tamen eorum simplicia erant, ut ibidem fuse ostendit, unde dimitti poterant à suis Prælati, neq̃ ipsorum vota, etsi in Religione edita, contractum Matrimonium dirimebant, sed illud duntaxat impediabant: ergo quòd de facto votum castitatis in Religione emissum non solum impediatur, sed etiam dirimat Matrimonium, quod non faciunt vota Sæcularium, non provenit ex traditione, vel certo statu, sed quia vota extra Religionem simplicia sunt, vota autem Religiosa hoc tempore sunt solemnium, non idè præcisè, quia, in Religione eduntur, sed quòd ex speciali Ecclesie constitutione ita acceptentur, ut, seclusa auctoritate, seu dispensatione ejusdem Ecclesie, perpetua sint, & irrevocabilia, atque voventem ad actus oppositos prorsus inhabilem reddant, in quo proprie consistit votorum solennitas; adeoque quòd dirimant Matrimonium, non habent solum ex hoc, quòd sint emissæ in Religione, & per ea traditio fiat, sed ex peculiari Ecclesie constitutione, quibus in hac parte æqualia sunt vota in Societate Jesu post tyrocini biennium emitti solita, etsi, ritu ab alijs Religionibus diverso, duntaxat simplicia sint, namque ex speciali constitutione Gregorij XIII. quae incipit *Ascendente Domino* per ea vovens non tantum ponitur in certum statum, fitque,

fitque vera traditio, sed etiam Matrimonium ipsdem superveniens non solum impeditur, sed dirimitur, ut fit per vota solemnia. Verba citata Bullæ Gregorianæ hæc sunt: statuimus, atque decernimus, tria vota eiusmodi, etsi simplicia, ex huius Sedis institutione, ac nostra etiam declaratione, & confirmatione esse vere substantialia Religionis vota, ac in dicta Societate, tanquam in Religione approbata per Sedem eandem admissa fuisse, & esse, & per nos admitti &c. & paulo post: Excommunicationis majoris lata Sententiæ, & alijs apostatarum poenis, si qui à Societate deficiant, subjacere, & tanquam veros Apostatas puniri posse, nec à quoquam, nisi per nos, & Sedem prædictam, aut Generalem Præpositum ab eisdem poenis absolvi, nec ante huiusmodi absolutionem, & à Societate dimissionem Matrimonium contrahere, quin imò NB. eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus huiusmodi nullos, & irritos esse, prout irritos facimus, & annullamus: habet ergo votum simplex castitatis in Societate Iesu hoc singulare ab alijs votis simplicibus, quod Matrimonium, stante eo contractum dirimat, cum alia vota simplicia id solum impediunt.

2. Eiusmodi votum simplex, quod Matrimonium impedit, quadruplex est, videlicet votum perpetuæ castitatis, seu continentię integræ, votum ingrediendi Religionem, suscipiendi Sacros

Ordines, & votum cœlibatûs, si ve non ducendi uxorem, vel non nubendi: hæc omnia reddunt conjugium mortaliter illicitum iure Divino, & naturali, cum scriptum sit: *vovete, & reddite. Psalm. 75.* Et quidem de voto castitatis absoluto clarum est, quia per illud corpus voventis Deo consecratur: nequit ergo licite alteri tradi. De voto non ineundi Matrimonium pariter dubium esse non potest, quod Matrimonium tali voto impediatur, quia istud directe opponitur Matrimonio. Idem est de Ordine Sacro assumendo, vel intrandi Religionem, quia sunt status à Matrimonio diversi, quibus assumendis impedimentum præstat Matrimonium, ut tradunt communiter DD. adeoque qui aliquo ex hisce votis tenetur, sine illius dispensatione illicitè contrahit Matrimonium, peccatque mortaliter; & absolute loquendo, is quoque lethaliter peccat, qui scienter contrahit cum ligato his votis, quia petit ab eo actum, quem licite exercere non potest, cum, qui adstrictus est voto, non possit sine peccato inire connubium. *Perez disp. 23. Sect. 4. de Matr. n. 4. Pontius L. 6. c. 12. n. 2. idemque habetur in c. Nos novimus, 12. q. 2. junctâ Glossâ V. Sciens.*

Nec obest, si dicatur, inire Matrimonium cum excommunicato non denunciato, jam aliàs parato contrahere, nullam esse culpam, neque

neque cooperationem, quamvis ipse excommunicatus peccet, cum excommunicatus non inducatur ab altero, possitque contrahere Matrimonium, petita prius absolutione: ergo similiter hic quoque nullam culpam committi, si quis cum habente votum castitatis, parato contrahere, Matrimonium ineat, nam & hic obtenta voti dispensatione id licite facere potest.

Nam respondetur, disparem efferationem, quippe excommunicatio non est impedimentum speciale Matrimonij, sed sicut peccatum mortale impedit omnium Sacramentorum receptionem ratione indignitatis in recipiente, ita excommunicatio, quia ita statuit Ecclesia ob reverentiam, & dignitatem Sacramenti, quod bonam recipientis dispositionem petit: cum igitur non sit speciale impedimentum Matrimonij, nec illi obstat, quatenus contractus est, sed ratione Sacramenti, hinc istud obstaculum non afficit utrumque contrahentem; quocirca ex parte illius, qui excommunicatus non est, nulla culpa committitur, nisi cooperetur ad alterius peccatum, quæ tamen cooperatio non reperitur in contrahente cum excommunicato jam aliàs parato contrahere. At votum speciale impedimentum Matrimonij est, in quantum hoc est contractus, ac proinde utrumque contrahentem impedit; iustus enim

Matrimonij contractus petit, si neutro contrahente esse impedimentum impediens, aut dirimens: quare licet cesset cooperatio, quando, qui voto adstringitur, ex se jam est paratus, & alterum inducit, qui, ut utilitati suæ consulat, Matrimonio annuit, nihilominus non cessat ratio peccati, eo quod contravenitur impedimento impediendi. Sanch. *L. 7. disp. II. n. II.*

3. Caterum ut hæc vota impediant Matrimonium, idque illicitum reddant, adesse debent illæ conditiones, quæ aliàs requiruntur ad quodcunque votum validum, & obligatorium; videlicet emitti debent *liberè, & deliberatè*; liberè quidem, ut fiant sine metu, nam hic, si gravis sit, sive de malo gravi, votum non obligat, ut est communis Sententia; & juxta Navarrum, quem sanè nemo hætenus nimis laxitatis arguit, in *Manuali c. 21. n. 51. V. Septimum* in foro conscientie levis quoque metus sufficit, ut votum reddat invalidum, quando per injuriam incussus est, pro qua Sententia plures citantur apud Lessium *L. 2. de Iust. c. 40. n. 17.* eamque practicè tutam esse, docent Gobat *tr. 9. cas. 3. n. 90.* & Sporer *Theol. Sacramental. p. 4. c. 1. Sect. 1. n. 141.* Deliberatè autem fieri debent, non, quod opus sit longa mentis agitatione, sed ut, qui vover, perfectam habeat advertentiam ad id, quod agit, nempe tantam, quæ in materia

ria prava sufficeret ad peccandum mortiferè, sciatque materiam, & obligationem voti, secluso errore, & ignorantia circa substantiam, vel talem circumstantiam, quæ in ipsum objectum, & substantiam voti redundet: quam cognitionem cum non soleant habere infantes, propterea eorum vota habentur pro invalidis in dubio, quoties emissa sunt infra septennium, ad quod tempus usque durat infantia, *L. Si infanti. C. De Jure deliberandi*, eoque non expleto, non præsumuntur sufficienter intellexisse, & deliberatè egisse: contrarium verò præsumitur de ijs, qui hanc ætatem superant, constituti in pueritia, seu annis pupillaribus, & multò magis, qui sunt ingressi adolescentiam, quæ incipit in fœminis completo ætatis anno duodecimo, in masculis decimo quarto, quo inter puberes recensentur, nisi aliunde constet, illos ante hoc tempus esse doli capaces, ut votum eapropter validum sit, vel istos esse incapaces, ut invalidum reputari debeat. *Palao disp. 3. De Conscientia. pu. II. n. 2.*

4. Nihil autem interest, quòd vota ista conditionalia sint, v. g. si quis castitatem promisit sub conditione, si aliquod beneficium, vel certam gratiam à Deo assecutus fuerit, aut vovit ingredi Religionem, si Parentes mortui fuerint; quod quidem posterius votum propriè conditionatum non est, cum non contineat

conditionem, sed solum determinationem temporis, quo impleri debet; habet enim hunc sensum, ac si diceret: *quando Parentes mortui fuerint, sive post obitum Parentum*, unde ex eo statim nascitur absoluta obligatio, licet illius executio differatur. His igitur votis adstrictus, quamvis non teneatur statim exequi, quod promisit, donec conditio impleta fuerit, vel tempus præfixum advenerit, obligatur nihilominus vi sui voti, ne se inhabilem, & incapacem reddat ad ejus executionem, atque ita etiam hæc, & similia vota impediunt Matrimonium, quia per illud, si ini-retur, poneretur obex, ne voveas posses votum suum implere. *Sanch. l. c. n. 7. Palao, Pontius.*

Verùm hoc quoque duplicem limitationem admittit. I. Nisi jam moraliter certum sit, conditionem impleri non posse, nam tali casu nihil impedit, quò minus, non habitatione voti, possit statim contrahi Matrimonium, v. g. si quis promisit ingressum Religionis sub conditione, si intra quadriennium doctus in aliqua facultate evaserit, potest eo non expectato ad nuptias transire, si ante elapsum hunc terminum moraliter certum sit, & non præcisè dubium, nam sic maneret votum in possessione, illum præ ingenij tarditate, aut quia inopiâ premitur, non posse ita studio vacare, ut eo tempore doctus evadat, aut

quia non potuit usque adhuc ad literas incurbare, & in residuo temporis impossibile est, ut doctus fiat. 2. Limitatur, nisi conditio talis sit, ut eam apponi pendeat ex libera voluntate voventis; sit pro exemplo votum: Si Religionem ingrediar: erit Carthusiana; hoc casu iterum statim transire ad nuptias poterit, quia cum liberum sit voventi, apponere, vel non apponere conditionis eventum, non obligatur ejus eventum expectare. Sanch. L. 4. in Decal. c. 22. n. 11. & c. 23. n. 28. idque extendit etiam ad votum poenale, v. g. si iusero intra annum, promitto Religionem.

5. Hinc verò duplex oritur dubium. Primum est, an liceat habenti aliquid ex istis votis inire Matrimonium, si habeat firmum propositum ante illis consummationem ingrediendi Religionem?

Negant, id fieri posse sine culpa lethali, Sanch. L. 1. de Matr. disp. 43. n. 7. Palao disp. 4. de Sponsal. pu. 2. §. 1. n. 14. Bonac. disp. 4. in secundum Præcept. Decal. q. 2. pu. §. §. n. 2. Navarr. in Manuali c. 22. n. 73. Less. L. 2. de Iust. c. 41. dub. 6. n. 50. & alij communiter, teste Dianâ p. 3. tr. 4. resol. 281. ubi vocat istam Sententiam probabilio-rem, & in praxi tenendam. Ratio ipsorum est, quia talis se conjicit in patentissimum periculum mutandi animum, & relicta intentione de ingressu Religionis, violandi

suum votum per copulam conjugalem, quod periculum semper adest, etiam si pars altera, cum qua contrahitur, conscia sit hujus propositi: ergo saltem ratione periculi talis contractus illicitus est. 2. Si autem hujus intentionis pars altera, v. g. puella, cum qua contrahitur, ignara est, negari non potest, quod inferatur ipsi notabilis injuria, nam si hunc animum sui Mariti perspectum habuisset, nunquam ei nupsisset, quem modò expectare debet, & anno integro esse sine conjugate, donec videlicet professionem is ediderit; vel si hæc non sequatur, debet esse uxor Monachi cum suo dedecore; imò, etiam consecutâ Professione, etiamnum fortè damnum incurret, quia putabitur deflorata, vel saltem erit suspicio, eam desertam fuisse à Marito ob aliquod vitium, sicque ipsi adhærebit aliqua nota, ut alias nuptias difficilius assequatur. Ut taceam, rectæ rationi repugnare, ut quis tradat potestatem sui corporis alteri, quod fit per Matrimonium, seque ad hoc obliget, quod nullo modo intendit adimplere: ergo nequit cum hoc animo contrahens Matrimonium à peccato lethali excusari.

6. Verùm existimo ego potius cum Basilio Pontio L. 6. c. 12. n. 5. & Perez disp. 23. de Matr. Sect. 4. n. 5. & seqq. non posse universaliter dici, quòd committatur grave peccatum ab eo, qui Matrimonium con-

contrahit aliquo ex istis ligatus, si habeat simul firmam intentionem ante conjugij consummationem ingrediendi Religionem; quod ut clarè pateat, lubet discutere singillatim hæc vota, tum cœlibatûs, tum assumendi SS. Ordines, tum ingrediendi Religionem, tum denique perpetuæ, atque integræ castitatis, & in particulari examinare, quid de unoquoque ipsorum sentiendum sit, præsertim cum Authores supra allegati pro Adversa parte non ita expressè loquantur de singulis. Votum cœlibatûs, sive non ineundi Matrimonium, assumo primo loco. De hoc non diffiteor, peccare mortaliter, quisquis eo obstrictus Matrimonium contrahit, etiamsi animum habeat illud non consummandi, sed priùs ingrediendi Religionem, nam hæc intentio non facit, quòd votum suum in ipso statim contractu conjugij non violaverit. Idem dico de eo, qui emisit votum assumendi sacros Ordines, si habeat præcisè propositum exequendi hoc suum votum ante conjugij consummationem, nam sic exponit se manifesto periculo votum non implendi, imò proponit agere, quod exequi ipsi jam non est liberum, nam semel contracto Matrimonio nequit transire ad SS. Ordines sine consensu conjugis, ut definitur in Extrav. *Antiq. Ioannis XXII, De Voto*, quia ad solam Reli-

gionem transitus in Iure permittitur. Similiter qui post votum ingrediendi Religionem, aut perpetuæ castitatis contrahunt Matrimonium etiam cum animo transeundi ad statum Religiosum ante conjugij consummationem, à peccato mortali non excusantur, quoties adest periculum, ne mentem suam mutant, atque in sæculo maneat, & in hoc statu illud consumment cum voti transgressione; at quando cessat ejusmodi periculum, peccatum mortale non committitur eo animo contrahendo, quemadmodum & ille excusari potest, qui ligatus voto SS. Ordinum idem propositum habet Religionem intrandi, ut in ea Ordinetur, quando in ipso quoque abest dictum periculum, quia ex una parte femina, quæ cognita non fuit, damnum non patitur, nec Matrimonium ratum inducit vinculum, quod cum isto proposito stare nequeat, & per Professionem Religiosam dissolubile non sit; ex altera verò parte cuius conceditur in ipso Iure tempus bimestre, quo possit ad Religionem transire, quod si faciat, Iure suo utitur, nec alteri infert injuriam, sive sciverit, sive nesciverit præcedens votum, nec potest hæc ipsum obligare, ut ad Religionem non transeat, imò neque subsisteret tale pactum. Id tamen censo cum citatis duobus Authoribus, fore in tali contractu nihilominus aliquam otiositatem, licet,

licet, secluso periculo consummationis, culpa mortalis in eo non appareat. Atque ita per se corruunt argumenta, quæ nimis universaliter, & sine limitatione arguentia ralem contractum peccati mortalis, supra attulerunt. Adversarij cum Sanchez, qui demum tamen ipse hanc nostram Sententiam iudicat esse probabilem, eamque insuper tenent Petrus Ledesma q. 53. de Matr. Art. 1. Concl. 2. & Caietanus in Summula V. Matrimonium. Vers. Et scito, peccatum esse. Quæ autem postmodum licita sint ijs, qui cum ejusmodi votis Matrimonium contraxerunt, commodius dicentur in sequentibus duobus casibus.

Adjungo, quoddam, si gravis causa subsit, talis nec venialiter peccet in eundo Matrimonium ante Religionis ingressum cum firmo proposito Religionem subeundi, antequam consummet. Tales causæ sunt, si hoc faciat metu compulsus, etsi tantus non sit, qui possit cadere in virum constantem, ut habet Lessi. L. 2. de Just. c. 41. n. 51. vel ut proles ante suscepta legitimer, vel si aliter non possit parentum custodiam evadere, qui cum incluserunt, ne Religionem ingrediatur; aut si aliter disponere nequeat de amplissima hæreditate, quæ proinde ad hæreticos devolveretur, possit verò disponere post Matrimonium contractum; atque etiam in casu raro ad vitandum scandalum, Lessi. l. c.

Sanchi. L. 1. disp. 43. n. 9. Propos. q. 6. de Matr. dub. 16. n. 119. ac denique si contrahant utrinque cum expressa conditione voti castitatis, vel non consummandi, vel eo, qui non tenetur voto, copiam alteri faciente adimplentionis voti, & separandi eorum, ac ea omnia faciendi, quæ ad implentionem voti pertinent; in his casibus omnino nullam culpam admittit, qui voto simplici castitatis obstrictus, Matrimonium init. Pontius l. c. n. 4. Perez n. 5. Rebell. de obligat. Just. p. 2. L. 36 q. 17. Sect. 1. n. 2. ad fin. de quo sufficienter constat ex dictis supra Sect. 1. §. 2. q. 2. n. 8. & seq.

7. Alterum dubium est, in quo propriè versatur controversia huius casus, an voto castitatis, SS. Ordinum, Religionis, aut cœlibatus adstrictus possit inire Matrimonium sine dispensatione, si patiantur vehementes carnis tentationes, expertusque sit, passim se succumbere; nec vires sentiat ad resistendum sufficientes?

Videri potest, talem ad Matrimonium licitè posse transire. Ratio est, quia sicut votum ex communi DD. Sententia cum S. Th. 2. 2. q. 82. a. 2. debet esse de meliore bono, ita etiam observatio voti, ut illud obliget; sed votum, & ejus observatio in talibus circumstantiis non sunt de meliore bono, cum talis, stante suo voto, continuò exponatur proximè periculo incidendi

dendi in innumera peccata luxuriae, quae sunt intrinsecè mala, & ab eo vitanda essent, si Matrimonio ligaretur: ergo cum vovens, quando ipsi constat, aliquid aliud esse sibi melius, quàm materia à se promissa, possit propria auctoritate id commutare, poterit etiam in isto casu propria auctoritate transire ad Matrimonium, quod videt, sibi fore salubrius, quàm votum castitatis. Ita Quintanaduennas *singularium tr. 9. singul. 12. n. 4.*

Verùm, etsi opinionem hanc speculativè probabilem aliqui fateantur, in praxin tamen deducenda non est, sed dicendum, per votum castitatis Matrimonium impediri, non obstantibus maximis difficultatibus, quas experitur vovens in ea servanda, etiamsi nunquam voluisset ita vivere, si eas antè prævídisset eventuras. Ita Sanchi *L. 7. de Matr. disp. II. n. 9. & L. 4. in Decal. c. 8. n. 9. & seq. Coninck disp. 30. dub. 3. n. 28. Valentia tom. 3. disp. 6. q. 6. pu. 2. diffi. 4. Vers. Ad confirmationem.* Ratio est, quia oppositum asserere videmus esse contra communem Ecclesiae usum, quantumvis enim quis carnis illecebris vexetur, & luxuriae stimulis urgeatur, si voto castitatis adstrictus sit, solet à Pontifice dispensationem petere, quae ex hac causa concedi potest, plerunque tamen non conceditur, nisi rigidissima commutatione injuncta, ut praxis docet, & videri potest in formulis

dispensationum apud Marcum Paulum Leonem in *Praxi ad literas Majoris Pœnitentiarij*; nec credo (ait Sanchez) virum aliquem doctum, & pium ausum fuisse hunc ab obligatione sui voti eximere. communiter enim in votentium potestate est, tentationes istas & pericula devitare, vitando occasiones, & otium, ac exercendo se in jejunijs, & orationibus; quod si nolint facere, sibi, non rei difficultati imputent, nam, ut ait S. Th. q. cit. art. 4. ad 2. *periculum voventi non imminet ex ipso voto, sed ex culpa hominis, qui voluntatem mutat, transgrediens votum*; & S. Aug. tom. 6. Operum L. I. de Adulterin. Conjugijs. c. 15. ad Pollentium, illis, inquit, *quae se non continent, expedit nubere, & quod licet, expedit; quae autem voverint continentiam, nec licet, nec expedit.* Nec satis est ad hoc, ut aliquis deobligetur à voto, quòd modò experiatur eas tentationes, quas si prævídisset, nunquam simili voto obstricturus fuisset, nam ut quis liberetur etiam à promissione homini facta, non sufficit, quòd de novo nunc ei occurrat talis difficultas, quae si fuisset ab initio prævísá, deterruisset à promittendo, sed necessariò requiritur talis, quam ipse vel tollere, vel superare nequeat, & quae prævísá communiter cordatum quemque à promittendo averteret: atqui talis non est difficultas superandi tentationes & sciunt,

sciunt, istas non defuturas, & nihilominus innumeri se voto castitatis obligant, vel ad statum Ecclesiasticum, aut Religiosum transeunt, quia simul id quoque sciunt, volentibus, & facientibus, quod in se est, Deum non denegare gratiam, sed ea præbere auxilia, ut possint facere ex tentatione proventum: nõrunt etiam, quanta certantibus sint constituta præmia, quæ multò majorem laborem mereantur.

8. Illa denique ratio, qua nittur Quintanaduennas, ideo licitum esse voventi transire ad Matrimonium in istis circumstantijs, quia conjugium ipsi salubrius est, planè inteatum non probat, nam quia materia votorum castitatis, Religionis &c. gravissima est, & Deo perquam grata, ac in eorum violatione magnum periculum, non cujuscunque judicio, quantumvis moraliter certo, relinquendum est, an voventi, omnibus consideratis, magis expediat Matrimonium, sed expectanda est autoritas Superioris dispensantis. Unde in dicto argumento dupliciter considerari potest his votis ligatus. Primò ut quedam persona singularis. Secundò ut pars communitatis Ecclesiæ, & ut bonum, vel malum Ecclesiæ etiam bonum, vel malum est ipsius. Quamvis igitur illi, ut singulari personæ, posset esse melior, ac salubrior status Matrimonij, quàm status continentia, vel Religionis,

non tamen ut pars est communitatis Ecclesiæ; certum quippe est, Deo gratiorem, & Ecclesiæ, adeoque etiam tali homini, in quantum pars est hujus communitatis, meliorem esse statum continentia, quamdiu Superior cum ipso non dispensaverit, ut patet manifestè, siquidem si cuius permillum esset propria auctoritate ob frequentes carnis lapsus, postpositis his votis, transire ad nuptias, mala plurima, & gravissima scandala in Ecclesia orientur, quæ proinde ad quemlibet etiam, ut ad Ecclesiæ membrum, & partem, redundarent, nam depravata cupiditas plurimos falleret, ut putarent, se non posse, quod nolunt, & falsò existimantes, continentiam sibi impossibilem esse, multi prætenderent, justam causam adesse convolandi ad nuptias, quò ipsos non rei difficultas, sed propria salacitas impelleret: igitur diceadum, ob maximam votorum istorum dignitatem, plurima merita, & egregia opera, quæ per ea præstantur in Ecclesia, ut censeatur eorum obligatio cessare, debere contrarium melius esse, atque præstantius voventi, non tantum ut singulari personæ, sed ut parti communitatis; quòd autem ipsi ut singulari personæ istud magis expediat, neutiquam sufficit, ut rursus clarissimè ostendi potest in exemplo: Certum est apud Authores, voluntariam feminis effusionem, quantumvis

tumvis cederet aliquando in bonum alicujus privati, ipsique magnopere utilis foret, nullâ unquam causâ honestari posse, eo quod inde toti communitati ingentia damna sequerentur, & in plurimis aperiretur ostium incontinentiæ, mollesque, & proclives in hanc turpitudinem facile sibi persuaderent, adesse causam seminis licite effundendi: ergo in votis quoque prædictis præhabendum est bonum communitatis utilitati privati. Hæc circa castitatis vota simplicia, quando iisdem jam emissis nimix carnis tentationes, & lapsus frequentes superveniunt; an autem valida sint, & obligatoria ejusmodi vota non ineundi Matrimonium, Religionis &c. facta ab eo, qui jam tunc, quando vovet, videt, sibi salubrius fore Matrimonium ob incontinentiam, & lapsus in res venereas, videri potest apud Bonac. *Disp. 4. in secundum præcept. Decal. q. 2. pu. 1. n. 26.* & Sanch. *Quintanadv. ll. 66. Gobat. tr. 11. n. 270. & seqq. Dianam p. 10. tract. 11. resol. 47.* Burgaber *Select. Casuum centur. 1. cas. 66.* Augustin. *Michel Theol. Canonico-Moral. tom. 1. p. 2. Sect. 3. pu. 2. §. 5. n. 42.* Palao *diss. 1. de Essentia, & oblig. voti pu. 8. §. 5. n. 14.* & præsertim Matth. de Moya in *Quæst. Select. tr. 2. diss. 1. q. 1.* ubi plures Authores citat in utramque partem disputantes, ipse verò §. 3. amplectitur sententiam, votum

castitatis, vel Religionis emissum à valde proclivi in venerem, validum esse.

9. Cum igitur in casu nostro Gunthramnus votum castitatis emisserit, postquam non solum plenum rationis usum jam habuit, depositâ infantiam, adolescentiam, ac pubertatem ingressus, ac proinde tenera ætas, & indeliberatio ab obligatione voti ipsum excusare nequeat, nec etiam tentationum vehementia, & sæpius iterati lapsus ab ejus observantia ipsum eximant juxta dicta superius n. 7. restat, ut exponamus, quid agendum sit Confessatio, si ab hoc, vel ab alijs simili malo afflictis interrogetur, an validè, liciteque, voto non obstante, in istis circumstantijs possit Matrimonio copulari?

Ad hoc quæsitum admodum rigorosè, & scrupulosè loquitur Hostiensis, & alij quidam apud Sanch. *l. c. n. 12.* videlicet respondendum esse, quod Matrimonium inire non possit; & ulterius instanti, an saltem valeat contractum? denegandam esse responsionem; nam si respondeatur, invalidum esse, erit mendacium; si autem dicatur, esse validum, præbebitur occasio ineundi Matrimonium cum peccato mortali, atque ita respondens eadem culpâ mortali inficietur. Displicet hæc assertio, nec possum ullo modo
pro-

probare, quod expediat ad interrogata tacere, nam sic interrogans putabit, se contemni, ac inde offendetur, & quem consuluit, ex hoc silentio arbitrabitur inurbanum: in hoc tamen assentior, circumspicere agendum esse Confessario, si putat, interrogantem de valore hujus conjugij datâ doctrinâ ab usurum ad incundum id Matrimonium cum Sacrilegio mortali, postquam audiverit, esse validum, unde consultum est, ut ejus interrogationem celata quidem veritate, sed absque mendacio, eludat, ad alia ipsum divertendo, ut dicat, v. g. gravissimum, & atrox Sacrilegij crimen esse, si votum violetur, contracto Matrimonio, & ex ejusmodi Sacrilego conjugio plerunque infelices exitus, ac Dei supplicia timenda esse, ita forsitan fiet, ut ad alia deducto sermone, directæ responsionis interrogans obliviscatur. Quod si autem interrogationi inlilat, velitque omnino intelligere, an saltem validè contrahatur, sine omni culpa eidem veritas aperiri potest, dicendo, peccari mortaliter

ejusmodi contractu, esseque necessariò petendam dispensationem, Matrimonium nihilominus validum esse, nam dum sincerè ipsi exponitur, lethalem culpam committi, occasio ruinae non est data, sed accepta, cum sic respondens nihil proponat, quod ex natura sua ad peccatum provocet, & per quod ipse ad peccatum cooperetur, sed alter ex sua malicia verâ doctrinâ abutitur, unde non Confessario veritatem aperienti, præsertim si insuper à contrahendo Matrimonio dehorteatur, & moneat dispensationem petere, peccatum imputandum est, sed unice adscribitur alterius perverse, & inordinatæ voluntati, alias sanè dici poterit, Doctores quoque graviter delinquere, & occasionem delinquendi alijs præbere, dum scriptis suis inseruat, & in libris à se editis publicam faciunt veritatem, de valore talium conjugiorum, quod nemo prudens dixerit. Ita Sanch. *l. c. Coninek disp. 30. dub. 3. n. 32.* Sylvest. *V. Matrimonium 7. q. 5. Dis. 109.* Eman. Rodriq. *q. 1. Summa e. 240. n. 3.*



CASUS



CASUS SECUNDUS.

De Voto Cœlibatûs.

Theomirus votum vovit Domino Deo non ineundi Matrimonium, at postmodum contractâ familiaritate cum Idalba Virgine, eandem induxit in lapsum, & carnaliter cognovit.

Q. An eam possit, vel etiam teneatur ducere uxorem, non obstante voto?

S Y N O P S I S.

1. *An voto castitatis adstrictus, vel Sacrorum Ordinum, si Matrimonium contrahat, ante illius consummationem teneatur Religionem ingredi, ut votum suum implere queat?*
2. *Si post aliquod istorum votorum virginem defloravit, absque promissione conjugij, manet obligatio voti.*
3. *Idem est, etiamsi vi, vel dolo, & multò magis, si precibus induxerit.*
4. *Si vitiauit sub promissione Matrimonij, & ipsa fuit conscia hujus voti, adhuc tenetur voto, nec potest eam ducere.*

Tt

5. Si

5. *Si autem voti fuit ignara, obligatur ad Matrimonium.*
6. *An contrahens Matrimonium hoc casu teneatur petere dispensationem sui voti?*
7. *Ad quid obligentur, quidque liceat ijs, qui cum his votis Matrimonium iniverunt, ac primò quidem de eo, qui habet votum caelibatùs.*
8. *Quid, qui voverunt Ordines Sacros assumere, vel ingredi Religionem?*
9. *Quid denique, qui voto simplici castitatis ligatus est?*
10. *Alia quedam particularia dubia huc spectantia examinantur, & applicantur hactenus dicta presenti casui.*

1. **ES** X præcedenti-
bus constat, li-
gatum aliquo
istorum voto-
rum, de qui-
bus in præsen-
tibus casibus
termo nobis

est, sine peccato lethali communi-
ter non posse contrahere Matrimo-
nium, quantumvis ita peccaminosè
contractum postea teneat, validum-
que sit; in quo puncto Authores ali-
qui adeò rigorosi sunt, ut dicant,
adstrictos tali voto, si contra factam
Deo promissionem Matrimonium
Sacriligè contraxerunt, adhuc obli-
gari, ut transeant ad Religionem,
antequam illud consumment. Sed
hæc opinio difficultates patitur,
quippe si votum erat non contra-
hendi Matrimonium, profectò dici

nequit, quòd ante consummatio-
nem teneatur vovens Religionem
ingredi, namque per hunc ingres-
sum voti impletionem non conse-
quitur. Si autem vovit Religionem
ingredi, equidem lubens admitto
hanc Sententiam, quia adimpletio
voti adhuc ei licita est, & possibilis:
ergo tenetur, priusquam Matrimo-
nium consummet, illud exequi, nisi
forsitan aliunde excusetur, quia v.
g. defloravit virginem sub promissio-
ne conjugij, de quo plura dicentur
in decursu. De voto simplici ca-
stitatis id probant, quia quando al-
ter conjux non vult communi con-
sensu servare castitatem, tunc qui
voto ligatus est, alià viâ jam non
potest perfectè votum suum imple-
re: ergo tenetur hanc viam eligere,
nam vovens aliquid censetur indire-
ctè etiam vovere illud, & obligare
se

se ad id, quod necessarium est ad voti impletionem, quatenus id situm est in sua potestate. Ita Sylvest. *V. Matrimonium* 7. q. 5. disto. 2. Azor tom. I. L. II. c. 21. q. 2. De eo denique, qui habet votum suscipiendi Sacros Ordines, pariter probant, ante conjugij consummationem teneri ingredi Religionem, ut suo tempore in ea ordinetur, quia post ipitum Matrimonium hoc unicum medium ipsi superest ad votum suum implendum, cum post contractum connubium etiam ante illius consummationem, uxore invitâ, ad SS. Ordines promoveri non possit. *c. Conjugatus. De Convers. conjugat. & in Extravag. Antiq. Joannis XXI. De Voto*: ergo cum ipsi tunc (saltem licitum sit, transire ad Religionem, tenetur eligere istud medium, ut in ea suscipiat SS. Ordines, & sic impleat suum votum: Ita rursus Azor l. c. q. 9.

Verùm de utroque hoc voto tenendum est contrarium, nam quando dicitur, aliquid voventem ad illud quoque obligari, quod est medium necessarium ad voti impletionem, id est intelligendum de medijs ordinarijs, quæ non includunt notabilem status mutationem; non verò obligatur, neque censendus est hoc tacitè voluisse vovere, ut adhibeat media planè extraordinaria, & maximè ardua, quale est ingressus Religionis, medium re ipsa, quam vovit, difficilius: ergo ad huac non obligatur, sicut si quis habitans

Romæ vovisset peregrinationem ad Virginem Lauretanam, si postea transferret domicilium in Indias ante impletionem voti, hoc factò, planè non obligaretur suo voto, quia contrarium esset nimis durum, & moraliter impossibile, ac universim non tenetur rem inferioris ordinis compensare re ordinis superioris, sic enim qui debet pecuniam, quam absque vitæ, vel famæ detrimento restituere nequit, excusatur: at talis est Religio respectu Ordinum, vel continentia promissæ: ergo ad eam subeundam vovens compelli non debet, cum præsertim status Religiosus, cui sunt annexa gravia onera, nisi sponte suscipiatur, difficiles soleat exitus habere. Ita Palao *disp. 1. de Sponsal pu. 20. n. 9. Bonac. disp. 4. circa secundum præcept. Decal. q. 2. pu. 5. §. 5. n. 4. Præpos. q. 6. de Matrim. dub. 17. n. 131. Basil. Pontius L. 10. c. 5. Sanch. L. 1. de Matrim. disp. 46. n. 13. & L. 9. disp. 34. n. 6. Coninck disp. 23. dub. 3. n. 27. Perez disp. 52. sect. 3. n. 3. & sect. 6. n. 2. cum pluribus alijs.*

2. Modò, cum constet, nullam esse necessitatem, ut, qui post votum castitatis, vel SS. Ordinum contraxit Matrimonium, ante illius consummationem Religionem ingrediatur, difficilior dubitatio est, an, qui post quaecunq̃ ex omnibus quatuor istis votis virginem defloravit, adhuc teneatur votum suum implere, an potius sit obligatus,

gatus, ut à se vitiatam uxorem ducat?

Circa istud dubium Respondeo, Quando hoc factum est absque ulla promissione conjugij, ipsaque, sive conscia voti, sive ignara, liberè consensit in fornicationem, tenetur deflorator votum suum exequi: nec obligatur vitiatam ducere, vel aliter compensare, cum liberè consentienti damnnum non irrogaverit, quod compensationem petat, quia scienti, & volenti nulla fit injuria; ergo nec impeditur ob istam deflorationem, quò minus votum suum exequatur, sed etiamnum ad hoc obstringitur. Ita expressè Pontius *L. 6. c. 12. n. 6.* Palao *disp. 4. de Sponsal. pu. 2. §. 1. n. 15.* Loff. *L. 2. de Inst. c. 10. n. 9.* Vasq. *de Restit. c. 3. §. 2. dub. 6. n. 21.* Card. de Lugo *tom. 1. de Inst. disp. 12. Sect. 1. n. 1.* Petrus Navarr. *L. 2. de Restit. c. 3. n. 435.*

3. Quòd si ipsam vi, aut dolo, sed absque facta promissione conjugij, violavit, tenetur damnnum, si quod patitur, integrè refarcire, augendo dotem, ut æquè bene nubat, ac si corrupta non fuisset, non tamen etiam sic obligatur eam ducere. Ita rursus Palao *l. c. n. 16.* Less. *n. 10.* Navarrus &c. Neque obstat *c. 1. De Adult.* ubi dicitur: *si quis seduxerit virginem nondum desponsatam, dotabit eam, & habebit uxorem*, quia hic textus intelligendus est post sen-

tentiam Iudicis, non autem quòd ante eam ad hoc obligetur in foro conscientia. Addit Lessius *n. 15. l. c.* si puella vi, aut fraude violata, postea æquè commodis potita est nuptijs, ita ut nihil detrimenti acceperit, non debere ei quidquam necessariò restitui, cum istud non debeat pro ipsa defloratione pudicitia, quæ est irreparabilis, & pretio non æstimanda; neque pro damno inde secuto, cum re ipsa nullum secutum sit, nec denique ex eo capite, quòd in periculum coniecta sit, non inveniendi commodas nuptias, quia conijcere aliquem in periculum, etiam vitæ, & fortunarum non obligat ad restitutionem, nisi damnum re ipsa sequatur, aut antecedenter in pactum deductum sit; ut pro periculo, quòd subiri debet, aut prævideatur, aliqua compensatio fiat. Multò minus aliquid debetur ab eo, qui precibus, vel muneribus induxit, dummodo non fuerint conjunctæ minæ, aut metus reverentialis, veluti si erat illius Dominus, aut Superior, aut vir magnæ auctoritatis, cui ipsa nihil audeat recusare, utpote à quo ob dissensum incommoda timere debeat; similia enim preces imperia sunt, & æquipollent vi: si igitur hæc circumstantiæ non adsint, ad nihil tenetur, quia preces, & multò magis munera, ac dona vim non inferunt, verùm blandè alligunt; aliàs

aliàs quicunq̄ue aliquod officium , aut simile quid assiduis precibus , aut muneribus fuit consecutus , dici posset , id violenter obtinuisse , ac proinde injustè possidere , & obligari , ut acquisitum restituat , quod prorsus improbabile est. Adhæc , nisi penitus propudiosum prostibulum sit , ut satian- dæ libidinis causâ se ipsam offerat , vix erit reperire faminam , etiam quæ corrupta jam sit , quæ consentiat non rogata , quamvis autem repugnent ab initio , postea tamen liberum assensum præbent , & sæpè non invitæ ; volentibus autem nulla fit injuria. Petrus Navarr. Less. l. 6.

4. Si verò huiusmodi voto ligatus virginem vitavit sub promissione , & pacto conjugij , docent complures apud Sanch. l. 1. disp. 45. n. 3. & Dianam p. 3. tr. 4. resol. 289. talem adhuc obligari voto , nec posse eam ducere , quia in tali casu deflorans non tenetur ratione promissionis , quia hæc nulla fuit , nam fuit promissio rei illicitæ contra votum ; nec obligatur ratione damni , quia violans virginem , nuptijs non promissis , non obligatur eam ducere , sed aliter satisfacere ; atqui idem est , non adesse promissionem , & eam , quæ adest , esse nullam : ergo promittens , stante voto , non tenetur , nec potest eam ducere , sed debet vo-

tum servare , aliâ corruptæ compensatione factâ.

At mihi videtur , hîc cum distinctione loquendum esse , an deflorata conscia fuerit huius voti , an ignara? si fuit conscia , nullam contrahit deflorator obligationem eam ducendi ; imò nec damnum illatum resarciendi , quia non fuit ab ipso decepta , siquidem eo ipso , quòd sciverit , virum hunc ratione voti impediri à contrahendo conjugio , cognovit , eum istâ promissione se obligare non posse , unde censenda est , gratis usum sui corporis concessisse , ipsaque hunc contractum iniit mala fide : ergo sibi imputare debet omne damnum. Ita Palao l. c. n. 17. Less. l. 2. c. 10. dub. 4. n. 33. Bertau in Direct. Confessar. p. 3. c. 8. §. I. de sponsal. V. Qui voto castitatis. &c. Hoc tamen Lugo tom. 1. de iust. disp. 12. Sect. 3. n. 50. non universaliter admittit , quia cum post copulam facile possit obtineri dispensatio voti , potuit femina intelligere , sibi promitti procurationem dispensationis in voto ; quod verum iudico cum Lessio , si hoc non temerè ipsa præsumperit , sibi que incauta persuaserit , sed illud verba corruptoris aliquo modo significaverint , atque ipse puellæ spem fecerit , se facile obtenturum dispensationem , quo casu tenebitur ad eam procurandam.

5. Si autem ignara fuit hujus voti, probabilius, qui Virginem, vel sceminam honestæ famæ defloravit sub promissione Matrimonij, voto prius emisso non obstante, renetur eam ducere, nisi ipsa remittat gratis, vel aliam satisfactionem ultrò acceptet. Ita Vasq. *de Restit. c. 3. §. 2. dub. 6. n. 20.* Palao *l. c. n. 17.* Coninck *disp. 23. dub. 3. n. 24.* Bonac. *q. 1. de Sponsal. pu. 5. n. 7.* Less. *L. 2. de Inst. c. 10. dub. 4. n. 32.* Basil. Pontius *l. c. n. 8. & seqq.* Sanch. *L. 1. disp. 44. n. 3. & seqq. & disp. 45. n. 3.* Card. de Lugo *disp. cit. Sect. 3. n. 42.* & alij contra Laym *L. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 5.* Navarrum, Rodriq. &c. Ratio est, quia talis obligatur Deo gratuito, obligatione proveniente ex libera voluntate, femina autem obligatur ex justitia, obligatione proveniente ex delicto: atqui fortior est obligatio ex justitia, & quam aliquis ex delicto contraxit, quam ea, quæ liberè suscepta est, quæque obligat ex Religione, ut in exemplo manifestum est; quia si Deo vovisti, centum aureos in elemosynam dare pauperibus, ac postea toridem fureris Petro, riuus debes huic debito satisfacere, quam voto: ergo potior quoque obligatio est, ut satisfiat corruptæ, ducendo eam, quam voto. Nec obest, quod dicitur, factam promissionem fuisse nullam, cum fuerit de re illicita, neque potuerit corruptor ex animo promittere Matrimonium, cum esset

adstrictus voto, ne id faceret: quia quidquid sit, & dicatur de ista promissione, tenetur defraudator injustus, ut sceminam à se deceptam servet indemnem, quæ obligatio oritur non ex libera ejusdem voluntate, sed ex delicto; debita autem, quæ ex delicto sunt, præcedunt debita ex mera promissione gratuita: tenetur ergo, ut damnum, quod impia promissione, & mala fraude ipsi concivit, ab eadem avertat, eam ducere, nec satis est, quòd aliter satisficiat augmento dotis, quia ex vi contractus, quem ipsa bona fide ex parte sua implevit cum damno pudicitia, non debet pecuniam, sed Matrimonium, nec per pecuniam sufficienter refarcitur illatum damnum, si ipsa non liberè in hoc consentiat, quia nisi & alter compleat contractum initum ex parte sua, ducendo hanc uxorem, poterit ipsa adhuc subire infamiam amissæ Virginitatis: ergo, ut damnum istud amoliat, solvere debet, quod promisit, & eam accipere conjugem. Hoc ipsum asserunt Lugo *n. 38.* & Vasq. *n. 21.* etiam de eo, qui quidem non defloravit, sed sub promissione conjugij ita familiariter cum ea versatus est, ut populo suspicionem magnam dederit, quòd eam corruerit, idem enim damnum est, ac si corrupisset: ergo eandem satisfactionem postulat. Videantur, quæ diximus in *P. 1. Sect. I. q. 1. cas. 2.*

6. Ex haecenus dictis duplex iterum nobis quaestio oritur. Prima est, an in his casibus, qui Virginem, aut foeminam honestam viciavit, impetrare debeat dispensationem sui voti, ut eam ducere possit?

Resp. Ad dispensationem petendam, aut commutationem voti sub culpa mortali ipsum obligant Pontius L. 6. c. 12. n. 8. & 11. Card. de Lugo tom. 1. de Iust. disp. 12. Sect. 3. n. 41. Palao l. c. n. 17. Valq. n. 21. At si de stricta necessitate loquamur, probabilis mihi videtur, quod ait Lessius L. 2. de Iust. c. 10. dub. 4. n. 34. necessarium id non esse, quia executio voti facta est ipsi illicita, & ex iustitia tenetur sub Matrimonij promissione corruptam ducere: ad quid igitur opus est dispensatione, ut illud possit agere, quod agere tenetur, & sine injuria nequit non agere? Interea consultissimum utique est, ut dispensatio petatur, soletque etiam in praxi observari; & ut hoc faciat, similes corruptores admonentur, quia alias ex parte sua tenentur servare castitatem, si eam voverunt, nec poterunt debitum petere, sed tantummodo reddere, uxore vel implicitè, vel explicitè petente, de quo proximè: à quo autem petenda sit dispensatio, in sequente casu tractabitur.

7. Secunda quaestio est, ad quid obligentur, quidque liceat ijs, qui cum

his votis sine obtenta dispensatione Matrimonium contraxerunt?

Ut cum claritate progrediamur, hic quoque iterum singula quatuor istorum votorum in particulari consideranda sunt. Igitur 1. Qui vovit coelibatum, seu non contrahere Matrimonium, etsi, ut dictum est, mortaliter peccaverit contrahendo, potest tamen postea petere, & reddere debitum sine culpa. Ratio est, quia votum de non contrahendo Matrimonio ex natura sua non aequipellet voto castitatis, atque ideo solummodo contractum Matrimonij verat, & ea, quae ad contractum ordinantur, cujusmodi sunt sponsalia, non verò ea, quae castitatis voto adversantur, unde hoc voto ligatus, si fornicationem committeret, peccaret quidem contra castitatem, non tamen contra votum coelibatus. Ita Perez, disp. 23. Sect. 4. n. 10. & disp. 57. Sect. 6. n. 5. Sanch. L. 9. disp. 34. n. 7. Bonac. disp. 4. de secundo precept. Decal. q. 2. pr. 5. §. 5. n. 6. Rebellus p. 2. de oblig. Iust. L. 3. q. 17. Sect. 2. n. 3. Reiffenstuel Theol. Mor. tr. 14. dist. 14. q. 2. n. 21. Coninck disp. 30. dub. 3. n. 33. Sayrus in clavi Regia L. 6. c. 7. n. 8. Eman. Rodrig. p. 2. summae c. 98. n. 2. & alij ab his citati. Tenetur tamen mortua conjuge deniceps abstinere à nuptijs, cum absolutè voverit non con-

contrahere Matrimonium, & tunc possit hoc votum adhuc observare.

Castropalao in hac parte nobis contrarius est *disp. 4. de Sponsal. pu. 2. §. 1. n. 18.* nam putat, hunc obligatum esse, debitum conjugale non petere, quia prædictum votum ex affectu castitatis elicitum est de non contrahendo Matrimonium simpliciter, & perfecte, scilicet de non contrahendo, & consummando, ex quo voto obligatur ad non petendum. Sed censeo conciliari posse istas opiniones, si dicamus cum cit. *Rodriq. Rebello, Basilio Pontio L. 10. c. 5, n. 16. & Azor tom. 1. L. 11. c. 21. q. 7.* examinandam esse intentionem voventis, an statum cœlibem promittendo simpliciter idem voluerit, ac vovere omnimodam continentiam? siquidem esse potest, quod planè hoc intenderit: quod si voluisse deprehendatur, omnino vera est opinio, quam tradit Palao, & tale votum in omnibus, etiam quoad dispensationem æqualiter se habet cum voto simplici castitatis; quod si verò aliud non voluerit, quam abstinentiam à contrahendo conjugio, procedunt ea, quæ prior Sententia tenet, nec peccat, si vel reddendo, vel etiam petendo consummet. Addunt Azor, & Pontius, si de mente voventis dubium sit, nec, quam intentionem habuerit, satis discerni, vel ipse explicare valeat, an obligare se voluerit voto præcisè ad non contra-

hendendum, an verò ad non consummandum, in eo dubio potiùs ex natura rei interpretandum esse, quòd voverit neque contrahere, nec consummare, cum videatur voluisse abstinentiam à nuptijs, quæ utrumque includunt, cum nuptiæ ordinentur ad consummationem.

8. *Secundò* Qui post emissum votum Sacros Ordines recipiendi contraxit Matrimonium, licet peccaverit contrahendo, postmodum sine peccato reddere potest, & petere debitum conjugale. *Perez disp. 51. Sect. 6. n. 2. Præpos. q. 6. de Matr. dub. 19. n. 150.* quia hoc suo voto non vovit castitatem, sed solum assumere statum, in cuius ipsa assumptione vovetur castitas, à cuius implentione voti cum modò impeditus sit, ad castitatem necdum obligatur, neque tenetur, ut supra ostendimus, ante consummationem conjugij Religionem ingredi, ut votum suum in ea exequi possit: igitur nihil est, quod ipsum impediat à debito conjugali vel petendo, vel reddendo: soluto tamen Matrimonio manet etiamnum obligatus votum suum implere, si adhuc sit idoneus Sacris Ordinibus, quia id modò est in ejus potestate, & Matrimonium hanc obligationem non extrinxit, sed ad tempus suspendit.

Tertiò. At qui post votum Religionis se junxit Matrimonio, sine gravi peccato id consummare non potest sive petendo, sive etiam reddendo

do debitum, quia per hoc voti executionem sibi efficit impossibilem, seque in talem statum collocat, in quo illud implere jam nequeat; at semel consummato Matrimonio, potest deinceps debitum licite petere, & reddere, acsi nullo voto teneretur, quia vovens Religionem ex vi sui voti ad castitatem ante susceptam Religionem non teneretur; obligatur tamen is quoque, si adhuc aptus sit, post mortem conjugis ad Religionem transire, quia cum sic cessaverit impedimentum, implere potest suum votum, adeoque teneretur. Perez disp. 51. sect. 5. n. 2. & seqq. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 3. n. 6. Præpos. q. 6. de Matrim. dub. 16. n. 120. Bonac. disp. 4. in secundum præcept. Decal. q. 2. pu. 5. n. 19. Coninck l. c. De hac quæstione fufius ex infirmitate agitur in casu sequente.

9. Denique de obstricto simplici castitatis perpetuæ voto conveniunt AA, si Matrimonium contraxerit, non posse ipsum petere debitum, ac toties peccare mortaliter contra suum votum, quoties illud petit, posse tamen, atque etiam teneri alteri conjugis petenti debitum reddere. Ratio utriusque est, quia petendo agit contra votum, per hoc enim se obligavit Deo ad omnimodam castitatem servandam: ergo teneretur abstinere ab omni Venerea voluptate, quantum potest salvo jure alterius: sed sine præjudicio Matrimonij potest castitatem servare non pe-

tendo, cum ex vi contractus non obligetur petere: teneretur igitur petitione abstinere; reddere tamen potest, & debet, quia conjux habet ad hoc jus, nisi alter velit Religionem ingredi, ad quod eum non obligari supra probatum est, cum hoc non voverit, nec ad servandam castitatem teneatur eligere medium sibi tam durum: potest igitur, & debet, ne pars altera juris sui præjudicium patiat, ad ejus petitionem Matrimonium consummare reddendo; at verò uxore mortuâ teneretur deinceps servare castitatem, nec potest rursus alteri connubio jungi, quia obligatio, quam suo voto contraxit, est perpetua, id est, usque ad mortem, ac, quantum præsens status patitur, præstanda est: cum ergo nunc solutus sit à conjugij vinculo, teneretur non innodare se novo.

10. Circa hæc dicta concordant inter se Authores, in aliquibus autem, quæ huc maxime pertinent, inter se discrepant. Primum est, an, quando obstrictus voto castitatis debitum conjugale petit ab uxore, hæc possit ipsi turâ conscientiam illud reddere? Ratio dubitandi est, quia cum alter injustè petat, & cum peccato lethali, reddens videtur cooperari illius peccato: ergo nequit debitum petenti reddere; quod à simili confirmatur, quia conjugis petenti in loco sacro, nefas est reddere, cum tamen suum petat, &

U u

solius

solius sacrilegij reus sit : ergo illicitum quoque est reddere , dum petit voto castitatis obstrictus , cum hinc quoque , ut ibi , committat Sacrilegium. Ita Ugolinus *De Sacramentis* , tract. de Matrim. c. 10. n. 2. ubi generaliter docet , negandum esse debitum , quoties petere est mortale peccatum , & alij quidam apud Sanch. *L. 9. disp. 6. n. 2.*

Nihilominus dicendum videtur cum eodem Sanchez *n. 7.* posse reddere sine peccato , imò etiam debere. Ratio est , quia actus ille non est illicitus ex natura sua , sed solum ex circumstantia se tenente ex parte exigentis , nec voto castitatis ligatus amisit dominium corporis alterius conjugis per Matrimonium acquisitum , sed tantum peccat exigens in ordine ad Deum , cui fidem voti violat : ergo potest , & tenetur uxor reddere petenti rem suam , sicut si quis vovisset , non petere crastina die depositum , etsi is peccet sacrilegè petendo , alter tamen tenetur reddere , quia malitia petentis non deobligat alterum à reddendo illi , quod suum est , & quamvis reddendo debitum videatur conjux aliquo modo cooperari materialiter actioni illi externæ peccaminosæ petentis , excusatur tamen à culpa sufficienter ex justa causa , quæ subest , videlicet ne excitentur odia inter conjuges , aut mutuus amor debitus deferveat ; non aliter , ac petens mutuum ab usurario , & solvens usuras , quam-

vis aliquo modo cooperetur materialiter illius peccato interno , excusatur à culpa ex justa causa , quam habet petendi mutuum. Dominicus Viva in *propos. 9. inter prohibitas ab Innocentio XI. n. 14.* Paritas ab Adversarijs allata nulla est , quia in illo casu , dum petitur debitum in loco sacro , circumstantia vitians se tenet ex parte ipsius actus , & non præcisè ex parte petentis , repugnat enim Sanctitati loci sacri , ipsumque polluit. Idem est , si peteretur in loco publico , aut cum periculo abortus , nam illud adversatur honestati naturali , hoc cedit in damnum tertij : hinc autem circumstantia vitians solum se tenet ex parte exigentis , non autem ex parte ipsius actus : ergo paritas institui nequit , neque evitentur per eam Adversarij hanc veritatem , quòd , quamvis petenti actus ipse sit illicitus , non tamen eodem modo etiam illicitus sit reddenti.

Rectè interim advertit Sanch. *L. c. n. 5.* quoties conjux exactus potest commodè absque timore odij , indignationis , vel incontinentiæ alterius conjugis mortaliter peccantis in exactione debiti , & absque suo damno ab hac sua petitione eum divertere , teneri illum præcepto correctionis fraternæ ad eum avertendum , quia lex charitatis obligat ad retrahendum à peccato proximum , quando id commodè fieri potest : existimat nihilominus memoratus Author , ad hoc rarissimè obligari uxorem ,

rem, tum quia potest moraliter viri indignationem timere, ac vereri, ne is suspicionem concipiat, ipsam non virtutis Zelo, sed alieno amore captam ad hoc induci; tum quia moraliter potest credere, virum, qui contra votum est sacrilegus in petendo, ita ardore carnis incensum esse, ut facile incontinentiæ periculum passurus sit, negatâ sibi copulâ, ut aded non sit spes emendationis, sed potiùs timor majoris damni. Econtra faciliùs, ait, hoc præcepto obligari viros, qui, cum in uxorem imperium habeant, ipsique incumbat gubernatio, possunt uxoribus debitum petentibus consulere, ne peccent hoc petendo, seque illis offerre, quod ipsi debitum frequentius petitori sint, quod in foemina innata verecundia prohibet.

Secundum dubium est, an pars, quæ voto caret, si ante contractum Matrimonium scivit votum alterius, post illud initum possit ab eo petere debitum? Ratio dubitandi est, quia videtur carere isto jure, cum mala fide contraxerit, nam scivit, se non posse rem Deo consecratam in usum profanum convertere, & alterum non posse eam tradere; sibi igitur imputare debet, quod Matrimonio uti nequeat.

Verùm Respondeo cum Præpos. q. 6. de Matr. dub. 17. n. 133. Perez disp. 51. Sect. 1. n. 1. & Less. L. 2. c. 41. n. 53. compartem, licet concilium voti alterius ante Matrimo-

nium emissi, posse petere debitum, quia etsi in ea circumstantia graviter peccaverit Matrimonium contrahendo cum eo, quem sciebat obligatum ad servandam omnimodam castitatem, hoc tamen non obstante, cum per contractum Matrimonium acquirat jus in corpus illius in ordine ad generationem, habet jus debitum petendi, & alter tenetur ei reddere, ac supposito priori peccato non videtur petens de novo peccare.

Tertium dubium est. An, qui contraxit Matrimonium cum votocastitatis, possit conjugi petenti debitum reddere primo bimestri?

Negant absolutè Sanch. L. 9. disp. 6. n. 14. Bonac. l. c. n. 4. V. Hoc tamen limita. Reiffenstuel l. c. n. 20. & alij complures. Ratio est, quia votum castitatis obligat voventem ad omnino abstinendum ab omni actu venereo, & solum excusatur conjux illud reddens propter fortius vinculum justitiæ superveniens: ergo quoties deficit istud vinculum, tenetur omnino abstinere non solum à petitione, sed etiam à redditione: atqui conjuges habent jus non reddendi debitum primo bimestri, etiam præscindendo ab omni voto; ergo pars altera primo bimestri non habet jus exigendi, ac consequenter potest, quin imò etiam debet ea propter hoc voto ligatus petenti debitum negare.

U u 2

Sed

Sed respondeo, cum possit quidem ad implendum votum transire ad statum Religiosum, ad hoc verò agendum non teneatur, si re ipsa intentionem ingrediendi Religionem non habeat, habet pars altera etiam primo bimestri jus exigendi debitum conjugale proinde ipse & potest, & debet reddere etiam prima vice, & intra tempus bimestre, quod ut probabile agnoscit Gobat *tr. 10. cas. 18. n. 688.* & tanquam Sententiæ probabiliori subscribent omnes illi AA. quos in hac *P. 2. Sect. 1. §. 4. q. 2. n. 4.* citavimus, docentes, conjugem, qui non habet intentio-

nem transeundi ad vitam Religiosam, etiam primo bimestri debere reddere debitum conjugali petenti, cum per contractum Matrimonij statim tradiderit potestatem sui corporis, & ex concessione Juris solum tunc possit hoc negare, quando cogitat Religionem ingredi.

Ut igitur, quæ hastenus dicta sunt, applicentur ad præsentem casum nostrum, attendendæ sunt circumstantiæ, Theomirum post votum emissum deflorasse Idalbam, nulla factâ de nuptijs mentione, vel promissione, sicque facilis erit solutio, præsertim ex *n. 2. & 3.*



CASUS



CASUS TERTIUS.

Cum voto Religionis conjugium contrahentis.

Auxentius in periculo naufragij constitutus voto se obligat, si evasurus sit incolumis, mundo se valedicturum, & ingressurum in Religionem, nullam tamen determinatè sibi præfigit; petijtque re ipsa subinde suscipi in aliquem ordinem, sed quia admissus non fuit, uxorem duxit.

Q. Quænam ipsi ex hoc suo voto orta sit obligatio?

SYNOPSIS.

1. Quam obligationem habeat, qui vovit ingressum Religionis indeterminatè, vel etiam, qui certam aliquam Religionem, si in ea non statim recipiatur?
2. Non obligatur petere Religiones strictissimas.
3. Vel proficisci ad provincias remotiores ad impetrandam susceptionem.
4. In casu presente non potuit Auxentius contrahere Matrimonium; si tamen hoc fecit, uxore mortua, etiamnum obligabatur ad Religionis ingressum.

5. An,

5. *An, qui cum tali voto contraxit Matrimonium, reddere possit, & petere debitum conjugale? Refertur aliquorum opinio, dicentium, posse ipsum reddere, sed non petere, quorum argumenta expenduntur.*
6. *Deciditur, quid hac in re sentiendum sit.*
7. *Quis possit dispensare in impedimentis impediens?*
8. *Quandonam impedimentum, quod est ex voto castitatis, Pontifici reservetur, & quando in eo dispensare possint Episcopi, vel confessorij Regularium?*
9. *Etiā circa votum castitatis perfectæ, ac integræ potest in casu necessitatis dispensare Episcopus; non tamen Regulares.*
10. *Potest Episcopus dispensare ad petendum debitum cum eo, qui voto castitatis obstrictus, contraxit Matrimonium: & num id ipsum possint etiam Regulares vi suorum privilegiorum?*
11. *Quam potestatem cum ille, tum isti habeant ad dispensandum in voto Religionis?*

Duplicem quæstionem continet præsens casus, videlicet quid agere teneatur, qui votum edidit Religionis, quando se non determinavit ad hanc potius ineundam, quàm ad aliam: deinde quæ ipsi incumbat obligatio, si insuper habito suo voto, vel non adhibitâ eâ, quam adhibere debuerat, di-

ligentiâ in procuranda admissione, mutato ocyus animo, transivit ad Matrimonium?

Ad primum quod attinet, certum est, Auxentium malè egisse, nec suo voto satisfecisse, dum repulsus ab uno ordine, ad quem admitti petijt, statim transivit ad nuptias, nam vovit Religionem indeterminate, non hanc præ illa eligendo: ergo obligabatur serid, & instanter procurare, ut in aliquem

quem ordinem admitteretur, nec potuit repulsus ab uno, deinceps desistere à petitione admissionis in alium Ordinem, hoc ipso enim, quod voverit indeterminatè, emittit votum de omnibus Religionibus sub disjunctione: ergo tenetur tentare plures Religiones; vel Monasteria, si fortè alicubi admissus votum exequi possit.

Dixi, teneri plures Religiones tentare, quot autem absolute adire debeat, difficile est definire. Azor quidem tom. 1. l. 11. c. 22. q. 2. putat, talem, qui generatim vovit Religionem, satisfacere, si quinque, vel sex Ordines in sua provincia constitutos inquirat; si autem vovit certam aliquam determinatam Religionem, v. g. S. Benedicti, S. Bernardi &c. iterum debere explorare quinque, vel sex Monasteria istius Instituti; quod si in nullo eorum recipiatur, posse probabiliter credere, à ceteris quoque se exclusum iri, quæ doctrina sufficere potest; sed tamen censo potius cum Palao, relinquendum esse hoc prudentis arbitrio, & maximè desumendum ex occasione repulsæ, an talis fuerit, quæ judicari possit generalis, & communis alijs Ordinibus, aded, ut ipsi videatur adempta spes admissionis uspiam obtinendæ, quo casu nec obligatur quinque vel sex explorare, sed citius ab ulteriore indagatione excusabitur.

2. Illud verò benè advertunt AA. ejusmodi hominem vi huius voti non obligari, ut ingrediatur Religiones strictissimas, quales esse censentur Camaldulensis, Carthusia, Cappuccinorum, & fortè etiam Minimorum S. Francisci de Paula, aut Carmelitarum discalceatorum ob votum Quadragesimalis abstinentiæ, etiamsi sciat, in illis se esse recipiendum, quia plerumque non censetur vovere nisi aliquam ex ijs Religionibus, quæ communi hominum naturæ accommodatæ sunt, non verò quæ indigent speciali Spiritus sancti instinctu, & auxilijs; unde, nisi vovens intentionem suam etiam ad istas Religiones extenderit, ad tales Ordines obligandus non est, præsertim si ex circumstantijs, v. g. quia est homo delicatus, & ab asperitatibus abhorrens, colligi possit, & præsumi, ipsius animum se eò non extendisse, sed potius fuisse excepturum similes Religiones, si de ijs in mentem venisset cogitatio tunc, quando votum emisit, quia in generali concessione, promissione, & obligatione non continentur ea, quæ quis verisimiliter in specie promissurus non fuisset juxta Reg. Jur. 81. in 6. & l. Obligatione ff. De Pignoribus. ita expressè Palao p. 3. tr. 16. diff. 1. pu. 3. n. 6. Laym. l. 4. tr. 5. c. 6. n. 1. Sanch. l. 4. in Decal. c. 16. n. 49.

3. Pari

3. Pari modo, nisi aliter aliunde constet de voventis intentione, non tenetur, qui in sua Provincia non suscipitur, adire remotiores regiones, vel omnino aliam nationem, v. g. Hispanus, aut Germanus proficisci in Italiam, ut ibi in Religionem admittatur, quia talis non est censendus se voluisse ad hoc obligare, & in contraria Sententia deberet aliquando totum Christianum orbem peragere, semperque ex una Provincia in aliam, ex uno regno in aliud pergere, si in priore non recipere-tur; quis autem ad hoc obligabit? ita rursus contra Navarrum docent Palao, Azor, Laym, Sanch. l. c. qui n. 46. ait, talem etiam tunc fore liberum ab obligatione voti, si fortè mutato domicilio in aliam regionem perveniret, ubi facile posset ingressum obtinere, nam ab initio intentio voventis ad istum locum se non extendit, casus autem fortuitus novam deinde obligationem non adducit, non enim firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit, ut habet Reg. Juris 18. in 6. Ex eadem ratione juxta citatos Authores non tenetur regulariter Religionem ingredi, si aliter non suscipiatur, quam pro Fratre laico, quando vel ipse affirmat, vel ex circumstantiis colligi potest, intentionem voventis ad hunc statum se non extendisse, sed excepturum fuisse,

si ei venisset in mentem, uti præsumi potest de eo, qui v. g. nobili genere natus est, vel præstanti ingenio, magnaque doctrinâ præditus.

4. Respondeo modò ad casum nostrum zdò. stante hoc suo voto Auxentium non potuisse contrahere Matrimonium, nam vota simplicia non nubendi, recipiendi sacros Ordines, ingrediendi Religionem, servandi castitatem, cum è diametro adverlentur statui Matrimonij, ex communi omnium Sententia illud impediunt, ut sine obtenta dispensatione licitè contrahi non possit, quamvis initum non dirimant, uti habetur in c. Veniens, & c. Rursus. Qui Clerici, vel voventes, & c. Unico. De Voto in 6. quòd sitamen contraxit Matrimonium, uti contigit in nostro casu, & uxor moriatur, tenetur etiamnum Religionem ingredi post obitum suæ conjugis, quia cum jam impedimentum cessaverit, potest nunc votum suum implere: ergo ad hoc obligatur, quia per Matrimonium illicitè ab ipso contractum suspensa quidem fuit obligatio voti Religionis tempore durantis Matrimonij, non tamen omnino extincta, unde redit, & reviviscit obligatio, ut procuret ingressum in Religionem. Ita Sanch. Bonac. Palao, Grassis l. 2. c. 24. n. 13. Perez de Matrim. Disp. 51. Sect. 5. n. 4.

5. Nunc verò ut ad præcipuum pun-

punctum difficultatis accedamus, specialiter quaritur in isto casu, ad quidnam in hoc suo actuali Matrimonio Auxentius obligetur, an videlicet teneatur à debito conjugali penitus abstinere, an verò saltem reddere possit, an denique etiam petere?

Ad hanc quaestionem videri potest, respondendum esse id ipsum, quod docet communis Sententia de eo, qui post emissum votum simplex castitatis contraxit Matrimonium, scilicet reddere ipsum posse conjugii petenti debitum, petere autem non posse. Ita aliqui apud Sanch. L. 9. disp. 33. n. 13. Ratio est, quia nemini debet sua culpa suffragari, nec suus dolus patrocinari, c. Ex tenore. De Rescriptis: atqui patrocinaretur, si liberè posset non solum reddere, sed etiam petere: ergo &c.

Verum hoc axioma non probat universaliter, nam potest etiam culpa aliquando suffragari per accidens, ratione impotentiae subsequenter, ut patet, si debitor aëris alieni prodigat proprias facultates, in tali casu suspenditur obligatio solvendi ob impotentiam, quamvis ex culpa proveniret: ergo à pari suspenditur obligatio voti Religionis, Matrimonio semel iniquè consummato, quia impleri votum tunc amplius nequit.

Alterum argumentum esse potest. Cum de essentia Religionis sit castitas, eo ipso, quod aliquis se voto ad Religionem obstringit, simul se

obligat ad castitatem, sicuti vovens jejunium tenetur ad unicam comestioem, quæ de jejunij natura est; quod enim essentialiter sub objecto voti clauditur, est materia voti, ad quam proinde se obligat, & qui tenetur ad aliquid, tenetur consequenter etiam ad id, quod inde sequitur: quia igitur ad votum Religionis sequitur votum castitatis, consequenter qui vovit Religionem, tenetur ad votum castitatis, atque ideo sicut obstrictus voto castitatis non potest in Matrimonio petere debitum, ita nec ille, qui edidit votum Religionem ingrediendi.

Sed neque hoc sufficit, negatur enim antecedens, quod ille, qui vovit Religionem, se etiam obligaverit ad castitatem. Confirmationem argumenti distinguo: cadit sub votum, quod clauditur sub objecto voti immediatè, c. quod clauditur solum mediatè, n. Nego etiam paritatem: Unica comestio includitur immediatè in voto jejunij, non verò ita includitur castitas immediatè in voto Religionis, sed mediatè tantum, supposito nempe statu assumendo, quia talis non obligatur ad castitatem ante statum Religionis assumptum, consequenter tenetur solum ad id, quod sequitur immediatè, non autem tenetur de facto ad id, quod sequitur solum mediante altero, quod necdum existit.

X x

Tertium

Tertium argumentum formari potest à paritate. Vovens magnam eleemosynam, si non possit totam erogare, tenetur saltem ad partem; item vovens jejunare toto Adventus tempore, tenetur saltem ad eam partem quæ ipsi possibilis est; ergo qui non potest sine injuria conjugis abstinere à redditione, & petitione debiti, tenetur saltem non petere debitum, & observare hoc votum, quantum potest.

Sed respondeo, teneri tunc ad partem, qui totum dare non potest, quando vovens totum, vovet formaliter partem, ut contingit in jejunio, & eleemosyna; at vovens certum aliquem statum, non promittit formaliter leges ipsius, sed secundariò duntaxat, & sub conditione, si priùs in eo statu constituatur, consequenter vovens Religionem, non vovet formaliter, & immediatè castitatem, sed tantùm secundariò, quando in Religione fuerit constitutus.

6. Unde dicendum 1. Auxentium voto Religionis adstrictum peccasse mortaliter in primis, dum Matrimonium inijt animo illud consummandi, quia assumpsit statum impedientem Religionis ingressum. Imò contrahens etiam cum animo non consummandi, sed statim abeundi ad Religionem, probabiliter adhuc peccat mortaliter juxta Sanch. Palao &c. tum ob periculum consummationis, tum ob deceptionem alterius

contrahentis, ut supra vidimus *in casu*. 1. *huius §. n. 5.* nisi tamen istud faciat ad legitimandam prolem, honorandamque concubinam, cum ejus consensu, & absque periculo consummandi, sed cum intentione statim transeundi ad Religionem, sic enim Matrimonium contrahens non peccaret.

Dicendum 2. Auxentium obligatum fuisse ex vi sui voti contractum à se Matrimonium non consummare, non solum petendo, sed neque reddendo debitum, adeoque dum prima vice sive petendo, sive reddendo consummavit, peccasse mortaliter. Ratio est, quia obligabatur se non reddere inhabilem ad executionem sui voti, potuit enim Religionem ingrediens adhuc implere votum, quo obstrictus erat, consummans verò Matrimonium constituit se in eo statu, ut implere nequeat: ergo consummans peccavit mortaliter, sive petendo, sive reddendo consummaverit; non quidem peccavit contra castitatem, ut statim dicitur, cum non emiserit votum castitatis, sed contra votum Religionis, quia liberè apposuit impedimentum impleti voti, cum post Matrimonij consummationem non possit ad Religionem transire.

Dicendum 3. Semel consummato Matrimonio potest deinceps Auxentius voto Religionis adstrictus licitè non solum reddere, sed etiam petere debitum conjugale. Ita quoad omnia

omnia expressè docent Sanch. L. 9. de Matrim. disp. 33. n. 14. & seq. Mart. Perez disp. 51. de Matr. Sect. 5. n. 2. & seq. Palao disp. 3. de Sponsal. pu. 4. §. 2. n. 3. & disp. 1. de Statu Religioso pu. 5. n. 3. Lessi. & Graffis ll. cc. Coninck disp. 34. de Sacramentis dub. 7. n. 55. Rebellus de oblig. Iust. L. 3. q. 17. Sect. 2. n. 4. Azor tom. 1. L. II. c. 21. q. 8. Emanuel Sà V. Debitum conjugale; n. 4. Lud Lopez p. 1. Instruitorij c. 50. §. Qui post votum simplex, & plures alij ab his allegati. Ratio est, quia Auxentius non fecit votum castitatis, consequenter etiam si petat, non peccat contra votum castitatis, qui enim vovet aliquem statum, non se obligat ad illius leges, donec illum re ipsa assumat, cum in suo voto minimè obligationem aliquam exprimat ad illius leges; ita qui vovet, se Sacros Ordines assumpturum, non tenetur, donec re ipsa assumat, recitare Officium Canonicum, neque ad castitatem ex vi illius voti emittendi, proinde si fornicetur, non committit sacrilegium, sed simplicem fornicationem: ergo etiam qui vovit Religionem, non tenetur ex vi sui voti ad castitatem, sicuti non tenetur ad paupertatem, & obedientiam, consequenter quia jam consummato Matrimonio nequit votum Religionis implere, ad illam transeundo, nihil est, quod debiti redditionem, ac petitionem impediatur, atque ita latum discrimen est inter eum, qui vovit

ingressum Religionis, & eum, qui obstrictus est voto simplici castitatis, nam hic petendo semper agit contra suum votum; ille solummodo egit in prima consummatione contra votum Religionis, non contra votum castitatis, quia hanc nunquam vovit, sed, si ita loqui placet cum Lessio, solum vovit ad summum, se voturum castitatem, si admitteretur in Religionem: ergo de facto contra castitatem non agit: sed neque agit contra votum Religionis, petendo debitum, quia ingressus Religionis ipsi de facto est impossibilis, impossibilium autem nulla est obligatio, consequenter non agit contra ullam obligationem, ac proinde licet, & sine omni anxietate conscientiae reddere potest, & petere debitum conjugale.

7. His modò pertractatis, superest, ut examinemus, penes quem in impedimentis Matrimonium impediens dispensandi potestas sit? Circa hanc quæstionem conveniatur DD. posse Episcopum dispensare in omnibus impedimentis impediens, duobis duntaxat exceptis, videlicet *Sponsalibus*, & *voto*, quæ jure Divino, & naturali obligant. Ratio est, quia licet inferior dispensare nequeat in lege superioris per se loquendo, nihilominus receptum nunc est consuetudine, ut dispensatio reliquorum impedimentorum non à Pontifice petatur,

tatur, vel necessariò ab eo obtineri debeat: imò cum ex omnibus impedimentis impedientibus juxta superius dicta hodie non nisi quatuor in usu sint, Ecclesiæ prohibitio, sacratum tempus, sponsalia, & votum, de aliorum dispensatione impetranda jam nemo est sollicitus. *Leli in opusc. posthum. tract. de Sacram. Matrim. c. 14. dub. 3. Sanch L. 7. disp. 17. n. 15. Bonac. q. 3. de Matr. pu. 15. n. 3. Engl in Manuali Paroch. p. 3. c. 5. §. 4. n. 22. Zerola. p. I. praxis Episcopalis. V. Dispensatio n. 8.* Quin imò de sponsalibus quoque ecclie communis sit Sententia, Episcopum etiam ex rationabili causa in ijs non posse dispensare, tum quia nusquam ostendi potest, concessam esse hanc potestatem Episcopis, tum quia per sponsalia acquiritur jus tertio ad corpus alterius, in jure autem tertio acquisito non dispensat Episcopus, ut patet in testamentis, donationibus &c. talisque dispensatio adversatur juri naturali, etsi, inquam, communis sit ista Sententia, non tamen omnino improbabilem esse oppositam putat *Dicastillo tr. 10. de Matr. disp. 8. dub. 4. n. 78.* quæ facultatem dispensandi in sponsalibus concedit Episcopis, sed priorem, quam vocat valde probabilem, dicit in praxi esse tenendam, additque, non fore hanc dispensationem propriè, & strictè dictam, sed potius rescissionem aliquam contractus sponsa-

litij, qua facta à legitimo superiore, liberantur contrahentes à vinculo, & obligatione illius contractus, quando judicatur rationi consonum, ut talis obligatio non subsistat.

8 In voto castitatis, quod est impedimentum Matrimonij, nequit Episcopus dispensare, verum reservatur id summo Pontifici, sed solum tunc, quando est votum perpetuum, perfectum, & absolutum omnimodæ castitatis, quod comprehendit omnes actus, tam internos, quam externos, ad quos virtus castitatis extenditur; unde dispensare etiamnum potest Episcopus, quoties votum est temporale, v. g. ad annum, vel decennium, aliudvé tempus limitatum, sicut & in voto certæ castitatis, veluti non committendi adulterium, non polluendi, non tangendi mulierem, non petendi debitum &c. quia hæc omnia non sunt vota omnimodæ castitatis, & totalia, sed partialia tantum, utpote quæ se non extendunt ad objectum adæquatam huius virtutis: ergo dispensari in ijs potest ab Episcopo, & Papæ non reservantur, quia, cum reservatio sit odiosa, & juri Episcoporum deroget, strictè interpretanda est, & intelligenda solum de continentia perpetua, & integra. Idem est de voto non contrahendi Matrimonium, quia neque istud simpliciter est votum castitatis, nec

nec enim violatur, si vovens cum aliqua fornicetur, nisi tamen, ut alibi diximus, per hoc planè intendit vivere perfectam, ac perpetuam continentiam. Ita quoad hæc omnia Moya in *Quaestionib. Select.* p. 1. tract. 2. disp. 1. q. 2. §. 1. Sanch L. 8. disp. 7. n. 6. & seqq. Sporer. *Theol. Mor. tom. 1. tr. 3. c. 3. n. 70.* Eman. Rodr q. p. 2. *Summe c. 98. n. 2.* Sayrus in *Clavi Regia L. 6. c. 7. n. 8. &c.*

Eandem dispensationem circa votum castitatis non integræ, ac perfectæ, sed non nubendi, non fornicandi, vel solum ad tempus, aliisque similia, quæ supra enumeravimus, & quæ idcirco reservata non sunt, impertiri etiam possunt Confessarij Ordinum Mendicantium, & qui cum ijs communicant in privilegijs, quibus hanc potestatem sui Superiores commiserint, ut fuse docent Afcenius Tamburinus tom. 2. de *Jure Abbatum disp. 19. q. 8. n. 6. & seqq.* Ant. à Spiritu Sancto in *Directorio Regularium p. 1. tr. 2. disp. 3. Sect. 2. §. 2. n. 81.* Bordonus *Variar. resolut. p. 1. Resolut. 15.* Sporer, & alij; estque hoc privilegium non viva voce oraculo datum, sed per Bullam, nam facultatem dispensandi in omnibus votis, exceptis quinque illis, quæ sibi ordinariè reservare solent Pontifices, inter quæ est votum simplex perpetuæ castitatis, concessit Eugenius IV. Monachis S. Justinæ Ordinis S. Benedicti in Constitutio-

ne *Etsi quastibet*, quæ Bulla videri potest apud Jo. Bapt. Confettium in *collect. privileg. Sacror. Ordinum*, & apud Eman. Rodriguez in *Bullario Regul.* estque undecima hujus Pontificis. Allegantur ab AA. aliæ quoque concessioncs, veluti Sixti IV. Innocentij VIII, Leonis X. qui in *Constitutione Pasteris aterni.* apud eundem Confettium id ipsum concessit Minimis, has tamen concessioncs adducere ego nolui, quia multis limitationibus satis arctatæ sunt, & ultima quidem universalis non est, verum restringitur ad certas festivitates, & numerum personarum, privilegium verò Societati JESU concessum à Paulo III. in Bulla *Cùm inter cunctas*, quod Bordonus, & alij adducunt, non facit ad rem, quia in eo non conceditur facultas dispensandi, sed commutandi vota, quæ duo multum diversa sunt.

9. Potest Episcopus quandoque etiam dispensare in voto simplici castitatis integræ, ac proinde reservato Pontifici, in casu urgentis necessitatis, dum nempe adest impedimentum adeundi summum Pontificem ob paupertatem, vel aliam causam, & vera necessitas cogit maturare dispensationem, veluti quando adest magnum periculum salutis spiritualis, scilicet violationis voti ob incontinentiam, si dispensatio differatur; quando timetur scandalum, magna infamatio, aliudvé grave damnum ex dilata dispensatione, ut si adstrictus

voto

voto castitatis violasset virginem, & ad reparationem honoris illius Matrimonium necessarium esset, simul verò metueretur, ne exponatur probro publico, aut Matrimonium impediatur à cognatis, si dispensatio Pontificia expectanda sit; ut morti proximus possit inire Matrimonium ad legitimandam prolem &c. in similibus casibus agit Episcopus non ex potestate ordinaria, sed tanquam delegatus Pontificis, de cujus mente rationabiliter præsumitur, nolle eum sibi vota reservare in talibus circumstantiis, sed potius contentum esse, ut urgente gravi necessitate cum impedimento ipsum adeundi, potestas dispensandi penes Episcopum sit. Ita Palao *disp. 2. de relax. voti pu. 12. n. 4.* Barbosa *l. c. n. 3.* Sanch. *n. 12.* cum alijs supra allegatis.

An verò in simili casu quoad votum castitatis perfectæ, ac perpetuæ, quando votens recursum habere nequit ad Pontificem ob paupertatem, vel distantiam, pariter dispensare possint Regulares virtute privilegij, quod habent, dispensandi in votis, in quibus possunt Episcopi, diversa tradunt DD. Affirmativam tenent Chassaing *De privilegijs Regularium tr. 5. c. 5. propos. 2.* & alij apud Moyam *l. c. §. 3. n. 17.* Verùm opinio contraria, utpote communissima, & probabilior, tenenda est, pro qua militant Sanch. *L. 4. in Decal. c. 43. n. 8.* Palao *l. c. n. 7.* Laym.

L. 4. tr. 4. c. 3. n. 17. ad finem. Lezana *tom. 4. quest. Regular. V. Votum. n. 21.* Basil. Pontius *L. 8. c. 10. n. 11.* Barbosa *allegat. cit. n. 14.* Bordonus *l. c. n. 24.* Rodriq. *tom. 1. Quest. Regular. q. 63. art. 6.* Moya *l. c. §. 4.* Fagundez *L. 2. in Decal. c. 45. n. 15.* Diana *p. 6. tr. 6. resol. 50.* Sporer &c. quia, quòd Confessarij Regularium Mendicantium dispensare possunt in votis, in quibus dispensare potest Episcopus, id est intelligendum de ijs votis, & casibus, qui jure ordinario Episcopo competunt, ideoque propriè Episcopales sunt, non item in ijs, qui per se Papales sunt, & tantum per accidens ob urgentem necessitatem, ac moralem impotentiam adeundi Papam, ex benigna interpretatione voluntatis Summi Pontificis, & quadam epichia ad Episcopum tanquam ad ordinarium post Papam pastorem devolvuntur.

10. Ad Episcopum quoque spectat, cum eo, qui post votum simplex castitatis contraxit Matrimonium, dispensare ad effectum, ut possit petere debitum; quamquam enim, attento jure, hæc dispensatio sit solius Pontificis, tamen, ut eam concedat Episcopus, consuetudine introductum est, quæ Jurisdictionem præbet. *c. Cum contingat. De Foro compet.* Et hujus dispensationis sanè justissima causa est periculum incontinentiæ, quod plerunque adest propter cohabitationem, quam non

non tenetur deserere. Nequeunt verò dispensate Episcopi, ut mortua comparte aliud Matrimonium, inear, qui hoc voto ligatus est. Præpos. q. 6. de Matr. dub. 18, n. 149. Sanch. L. 8. disp. 12. n. 4. Barbof. l. c. n. 9.

Sed hic iterum dubium est, an etiam Regulares virtute suorum privilegiorum dispensare possint ad petendum debitum cum ijs, qui ante contractum Matrimonium se voto castitatis perpetuæ obstrinxerunt? Possent hoc Confessarios Regulares approbatos juxta Concilij Tridentini normam, affirmant Palao l. c. n. 9. Sanch. L. 4. in Decal. c. 43. n. 9. Basil. Pontif. l. 8. c. 10. n. 12. Antonius à Spiritu Sancto in Director. Regular. tr. 2. disp. 1. Sect. 2. n. 110. & alij plures, quippe concessit hoc privilegium Pius V. vivæ vocis oraculo Franciscanis 26. Octob. 1569. ut videre est apud Emanuelem Rodriquez inter oracula hujus Pontificis n. 12. quia autem vivæ vocis oracula istis temporibus abrogata sunt, dicendum cum Bordonio Var. Resolut. p. 1. resol. 6. & Lezzana tom. 1. Quest. Regular. c. 19. n. 26. & tom. 4. V. Votum. n. 25. non possent nunc Confessarios uti prædicta concessione, nisi ea etiam per Bullam ipsis collata sit.

Et verò bullatum esse hoc privilegium, docet Quintanaduennas singularium tr. 9. sing. 4. n. 6. idque, ait, sat manifestè constare ex Bulla authentica Eugenij IV. quæ inci-

pit: *Regularem vitam &c.* & concessa est Benedictinis de observantia S. Iustinae, & habetur in Bullario Eman. Rodriquez. Hoc ipsum etiam probatur ex Bulla ejusdem Eugenij supra citatâ n. 8. ubi iisdem Religiosis S. Iustinae eandem facultatem concedit, ut patet ex illius verbis: *liceat dicta Congregationis Prælati, sive Monachis deputatis à suis Superioribus ad audiendas huiusmodi personarum (scilicet recurrentium ad eos) confessiones accedere, illasque audire, & absolvere ab omnibus, & singulis peccatis, præterquam Sedi Apostolicæ duntaxat reservatis nec non à quibuscunque excommunicationum, suspensionum, & interdicti sententijs, alijsque Ecclesiasticis censuris, & pœnis; insuper & vota omnia permutare, ac in omnibus, & singulis casibus, etiam Ordinarijs, ac per Synodales, seu Provinciales constitutiones reservatis cum eis dispensare: possunt igitur Regulares vi huius Bullæ dispensare in omnibus casibus, in quibus id possunt Ordinarij modo superius explicato, quam assertionem etiam sequitur, & persuasissimam habet Sporer tom. 1. Theol. Mor. tr. 3. c. 3. n. 54.*

Neque dicas, obesse huic assertioni propositionem duodecimam ab Alexandro VII. prohibitam: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate*, nam respondeo, cum hæc prohibitio versetur in materia odiosa, in mitiorem partem explicanda est, & verba

verba illius strictè accipienda sunt, quia igitur solùm loquitur de absolutione ab ijs peccatis, quæ Episcopo reservata sunt, hanc prohibitionem non oportet extendere ad dispensationes, nam dispensatio, & absolutio diversa sunt, & illa etiam extra confessionem fieri potest, ut docent Sanch. l. 4. in Decal. c. 43. n. 16. Bordonus l. c. n. 22. Gobat tr. 10. cas. 15. n. 604. Laym. l. 5. tract. 6. c. 10. n. 21. ubi ait: *Confessarij Mendicantium sine scrupulo possunt, ac solent dispensare in votis, petitione debiti &c.* Et Quiatadueanas, qui *Singularium tr. 9. sing. 10. n. 3.* docet, dispensationes ad debitum petendum fieri posse, etiam si illas confessio nec præcedat, nec subsequatur. Hæc de voto castitatis, ad quod reduco etiam votum suscipiendi sacros Ordines, nam in hoc quoque dispensare possunt tum Episcopi, tum Regulares vi privilegiorum, namque hoc non est votum castitatis, si ritè attendatur, sed tantùm est votum assumendi statum, in quo castitas observatur.

II. De voto Religionis eodem modo discurrendum est, ut de voto perpetuæ castitatis, videlicet illius dispensationem Papæ reservatam esse, posse tamen urgente necessitate concedi etiam ab Episcopo, etsi non ita frequenter, ut in voto simplici castitatis, quia plerunque non urget tanta necessitas, ut ei succurri nequeat, voti executionem differendo: Præterea quoties ex aliqua

circumstantia deficit ab integro, & perfecto voto, ex qua causa cessat illius reservatio, in eo dispensare potest non solùm Episcopus, sed etiam Regulares, æquè, ac supra dictum est de voto Castitatis.

Hinc dispensare possunt Episcopi, & Regulares 1. in voto ingrediendi Religionem non approbatam, quia Religio non approbata non est vera Religio. 2. In voto paupertatis, aut obedientiæ in Saeculo, vel in Religione non approbata emisso, quia non sunt vota Religionis. 3. Possunt commutare votum strictioris Religionis in votum laxioris, nam hæc non dicitur propriè dispensatio in voto Religionis, quod reservatum est, sed in quadam eius circumstantia, nec tollitur hic simpliciter voti obligatio, quod tamen facit dispensatio, nam manet is etiamnum obligatus ad statum Religiosum, cum dispensatum cum ipso non sit in substantia voti Religionis, sed solùm in circumstantia, et aliquo excessu rigoris in comparatione alterius Religionis, unde potius est commutatio, quàm dispensatio. 4. Pari modo dispensare possunt in differenda executione voti Religionis, quia neque hæc dispensatio est in substantia voti reservati, sed in aliqua eius qualitate, & circumstantia temporis, dum interim substantia obligationis illæsa manet. Ascan. Tambur. to. 2. *De Iure Abbat. disp. 19. q. 8. n. 19. & Seqq. Sanch. l. 8. disp. 9. n. 13.* Bordonua

nus &c. 5. Denique dispensare potest Episcopus, & consequenter ob sua privilegia etiam Regulares, in voto conditionali sub conditione de futuro, qualia vota sunt: si sanitatem recepero, si naufragium evasero, Religionem, castitatem &c. voveo, hæc enim vota solum reservantur, quando perfecta sunt, ut autem talia sint, debet affectus in castitatem, Religionem &c. directè ferri, nec satis est, quod feratur in aliud, quod consequi optat; nam qui oppressus morbo, aut in alio periculo constitutus promittit Religionem, vel castitatem, inquit quasi contractum innominatum cum Deo, faciam, ut facias, id est, si hoc mihi concesseris, ingrediar Religionem, quod est votum conditionale, in quo voluntas non fertur directè in Religionem, sed in consecutionem incolunitatis, ad quam obtinendam votum emittitur: igitur licet in his conditionalibus votis, postquam impleta est conditio, obligatio sit absoluta, tamen ut discernatur, an reservatum sit ejusmodi votum, an verò ab Episcopo dispensabile, spectanda est non solum obligatio, quæ impletâ conditione ad-

est, sed attendendum quoque initium, & radix hujus obligationis, quæ sanè imperfecta est, videlicet imperfecta voluntas à futuro eventu dependens, & imperfectus consensus in rem, quam talis vovit; unde cum reservatio votorum odiosa sit, restringenda est ad ea tantum vota, quæ quoad obligationem, & illius radicem, fortiuntur perfectam voti castitatis, & Religionis naturam, atque ita ejusmodi vota conditionalia reservata non sunt, sed ab Episcopo, alijsque privilegiatis dispensabilia. Sanch. L. 8. De Matr. disp. 10. n. 5. & 13. & L. 4. in Decal. c. 40. n. 99. Moya p. 1. Select. quaest. tr. 2. disp. 1. q. 2. §. 1. n. 2. Diana p. 6. tr. 8. resol. 16. & alij ab his citati.

Ex istis modò sufficienter patet, à quonam in præsentè casu Auxentius dispensationem petere, & obtinere potuerit vel absolutè in suo voto, vel ad petendum debitum conjugale. Plura ad dispensationem istorum votorum pertinentia, qui volet, inveniet tum apud citatos, tum alios Authores, ubi ex instituto tractant materiam de votis.



Yy

Sectionis